

36
H. H. H. H.
MANNHAR
BIBLIOTE
DOMESTIC
TO III

A
47
270

Jo. G.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16


G-I-L

A 081 Man,

12

1-25

| | |
|--------------|------|
| DEPARTAMENTO | REAL |
| CATEGORIA | |
| Salv: | A |
| Estante: | 47 |
| Numero: | 270 |



G-I-L. A 081 Man,

12
1-25

| | |
|----------|------|
| LIBRARY | REAL |
| Salis: | A |
| Estante: | 47 |
| numero: | 270 |



FRANC. XAV. MANNHART
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA
DOMESTICA

BONARUM ARTIUM
AC ERUDITIONIS
STUDIOSORUM USUI
INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS

SECVLI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS
ACCOMMODATUM.

TOMVLVS III.

DE HISTORIA SACRA ET PROFANA,
DEQUE RE NUMARIA.

R
1925



CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP,
MDCCLXII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
BIBLIO THECA
DONOR'S NAME
ACQUISITION DATE
ACQUISITION PRICE
ACQUISITION METHOD
ACQUISITION LOCATION
ACQUISITION INSTITUTION
ACQUISITION REFERENCE

100

UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



EPITOME
LIBRI V.
DE
HISTORICE.

CAPUT I.

INDOLES, FINIS, ET UTILITAS
HUJUS ARTIS.

§. I.

Indoles & finis.

I.

Historicen ab historia differre, ac peculiarem distinctamque a Grammatica, Poesi, & Rhetorica artem esse ostenditur. Præcepta hujus artis quoniam complexi sint. Amplitudo, materia, & forma historices patefit.

* 2

II.

Epitome Libri V.

II.

Finis historię non est sola utilitas, uti voluit Lucianus, nec delectatio, ut Gręci asseruerunt, neque veritas, quemadmodum Cicero adstruere videtur, sed duplex est, scilicet memoria Majorum, & imitatio Posterorum. Historię studium magnos Reipublicę viros peperit.

III.

Veritas est conditio historię, sine qua nequit illa consistere: difficulter tamen invenitur. Modus eruendi veritatem. Omnis fere historicus aliquid mentitur.

§. II.

Utilitas Historices.

IV.

Describitur hęc utilitas communis tum poetice, tum historice, ac refutatur opinio asserentium, ævi prisce historiam esse inutilem.

V.

Epitome Libri V.

V.

Illustratur utilitas privata partim exemplis, ex ipsa historia profana & sacra depromptis, partim monitis Basilii Imp. ad Leonem Filium, & Claudiani ad Honorium.

CAPUT II.

HISTORIA HISTORICES.

§. I.

Origo Historiæ.

VI.

Hæc admodum abscondita est. Quidam Clio Musæ, alii Ægyptiis sacerdotibus, alii Cadmo, alii Pherocydi, Saturno alii ejus inventionem tribuunt; sed perperam.

VII.

Nam ostenditur Mosen fuisse primum, qui historiam scripsit. Historici hujus, & historiæ elogium. Mosen
* 3 *secu-*

Epitome Libri V.

*secuti sunt in concinnanda historia sacra
Duces, Reges, Prophetæ in Veteri
Testamento: in novo autem Evangeli-
stæ.*

VIII.

*Profana historia originem duxit e
sacra. Primus profanæ conditor histo-
riæ apud Græcos fuit Herodotus, quem
secuti sunt Thucydides, Xenophon,
Polybius & alii, quorum characteres
recensentur.*

IX.

*Apud Latinos in cultiore historia pri-
mas tulit Julius Cæsar: post hunc Cor-
nelius Nepos, Sallustius, Livius, Ta-
citus &c. horum encomia & dotes.*

§. II.

Historices felix progressio.

X.

*Historia longe lateque dilatare se cœ-
pit. Enumerantur imprimis illi, qui
præ-*

Epitome Libri V.

præclare scripserunt de ipsa arte historica.

XI.

Incrementa Historiæ Ecclesiasticæ. Hegesippus primus fuit Ecclesiasticæ historiæ scriptor post tempora Apostolorum. Hunc magna serie secuti sunt alii.

XII.

Incrementa profanæ historiæ, ejusque scriptores, tum qui historiam hanc universam, tum qui particularem, tum qui singularem illustrarunt.

XIII.

Recensentur scriptores e Societate Jesu, qui Europam, Asiam, Africam, & Americam historiis suis celebrarunt. Insigne Opus Alphonsi Lafforii a Varea, cui titulus: universus terrarum orbis scriptorum calamo delineatus.

CAPUT III.

OECONOMIA HISTORIÆ.

§. I.

Definitio & Partitio illius.

XIV.

Varietas Auctorum in finienda historia natura. Discrimen inter historiam, Annales, & Ephemerides. Amplissimi fines historiae.

XV.

Partitio Historiæ a rebus, quas tractat. Divisio alia in universalem, in particularem, in singularem, & in sejunctam: alia in divinam, naturalem, & humanam: rursus alia in Chronologicam, Geographicam, Genealogicam, & Historiam proprie dictam. Quinam has partes tractarint.

Epitome Libri V.

§. II.

Materia Historiæ.

XVI.

Materia historiæ amplissima & æqualis ipsi mundo est. Qualis materia seligi debeat pro historiâ scribenda, & quomodo sit ordinanda. Quid ad veritatem historiæ requiratur.

XVII.

Narratio.

Ad narrationem rite faciendam debent concurrere magna prudentia, magna vis imaginandi, magna dexteritas ingenii, & magnum iudicium: præterea ordo in narrando. Exemplum præstantis narrationis ex Livio, & Maffeo.

XVIII.

Descriptiones.

De multiplici genere descriptionum: Topographiæ, & Chorographiæ,

Epitome Libri V.

*Poliographica, Machographica, Pato-
graphica. Quando & quomodo descri-
ptiones sint adhibenda. Exemplum ex
Curtio, & Wagnero.*

XIX.

Conciones.

*Seu oratiunculae aliae sunt directae,
indirectae aliae. Refellitur opinio illo-
rum, qui negant locum concionibus in
historia, & contraria mens ostenditur
e probatissimis Auctoribus. Exemplum
ex Livio, Strada, & Mariana.*

XX.

Encomia atque Judicia.

*Quid rei sint. Leges, quae in iis
adhibendis observari debent. Exempla
e Livio, & Strada. Quaedam brevio-
ra epiphonemata e variis scriptoribus.*

Epitome Libri V.

§. III.

Forma Historiæ.

XXI.

Consistit maxime in rebus & verbis. Ad res pertinent transitiones, causæ ac circumstantiæ, affectus, characteres: de singulis tractatur. Historicorum, & Novellistarum discrimen.

XXII.

Agitur seorsim de affectionibus animi exprimendis. Affectuum ciendorum utilitas commendatur. Exemplum e Livio & Maffeo.

XXIII.

De forma exteriori, seu de verbis & stilo historico. Dotes stili seu dictionis historicæ: puritas, brevitatis, claritas, ornatus. In historia stili simplicitas cum granditate conjungi debet.

Epitome Libri V.

CAPUT IV.

INFORMATIO TUM DE SCRIBENDA, TUM DE LEGENDA HISTORIA.

§. I.

Observanda in Scriptione.

XXIV.

Difficultas scribendi historiam, & grandia requisita ad munus historici: vastum ingenium, magnum iudicium, æquitas inexpugnabilis. Illustre testimonium Annæ Comnenæ de æquitate historici. Exempla hac in parte peccantium. Historicus cæteroque aptus absterri non debet a difficultate.

XXV.

Fundamentum historiæ scribendæ debet esse veritas, contra quam peccari potest tum citra modum, id est, reticentia vel laudis vel vituperii promeriti, tum ultra modum, narrando falsum, aut alia ratione, quam res gesta est. Regulæ ad characterem veritatis observandum.

XXVI.

Epitome Libri V.

XXVI.

Refellitur opinio eorum, qui conjecturis & judiciis propriis locum negant in historia.

XXVII.

Structura historiæ ex Halicarnasseo & Lipsio,

XXVIII.

Item ex Rapino & Possentino, horum Quatuorvirorum præceptis illustrata.

§. II.

Observanda in lectione historiæ.

XXIX.

Lipsii informatio utilissima, quam Nobili adolescenti Nicolao Hacquevillio dedit circa lectionem historiæ. Adversaria seu Notata historica quomodo sint conficienda.

XXX.

Quatuor classes lectorum: 1. eorum qui Politicam. 2. qui artem militarem. 3. qui eruditionem. 4. qui historiam universalem, vel Græcam vel Romanam addiscere cupiunt.

CAPUT

Epitome Libri V.

CAPUT V.

HISTORIA SACRA.

§. I.

Studium Sacræ Historiæ.

XXXI.

Sublimis character S. Historiæ, utpote quæ enarrat divinas perfectiones, divina opera, & eventus summe admirandos.

XXXII.

Comparatio historiæ sacræ cum profana: hæc vel fabulis, vel actionibus vanis plena est: illa veritatem & sublimem doctrinam de Ecclesia continet.

§. II.

*Observationes ad historiam
sacram.*

XXXIII.

Quinque observationes: 1. circa sensum latentem. 2. circa partitionem. 3. circa usus peculiare populi Dei. 4. circa mores Israelitarum. 5. circa morem narrandi.

XXXIV.

Epitome Libri V.

XXXIV.

* *Tres aliæ observationes: 1. circa exempla virtutum & vitiorum. 2. circa perfectiones divinas, præcipue justitiam & providentiam. 3. circa religionis immutabilem statum.*

CAPUT VI.

CRITICA HISTORIÆ.

§. I.

Querelæ contra libros, vulgo Romanos, aliosque historicos.

XXXV.

Origo librorum, vulgo Romanzen. Mala gravissima, quæ moribus bonis adferunt, præsertim juventutis.

XXXVI.

Geminus error eorum, qui omnia, quæ produnt historici, passim credunt: & illorum, qui omnia temere rejiciunt. Indicia, quibus veræ historiæ a falsis discerni possunt. Cur modo tam pauci, qui veram & sinceram scribere velint, aut possint historiam.

§. II.

Epitome Libri V.

§. II.

*Querela contra scriptores Aca-
tholicos, & Lectores Catholicos.*

XXXVII.

*A catholicorum quorundam Histori-
corum mendacia, fabulæ, & calum-
niæ palam sunt, præsertim Puffendor-
fii in sua introductione historica, ju-
ventuti summe noxia.*

XXXVIII.

*Dialogus, quo ostenditur, quam pa-
rum multi ex lectione historiarum pro-
ficient in cultu virtutum, & fuga vi-
tiorum: Optima legimus, pessima fa-
cimus.*





LIBER V.
DE
HISTORICE.

CAPUT I.

INDOLES, FINIS, ET UTILITAS
HUIUS ARTIS.

§. I.

Indoles, & finis Historices.

I.

Historicen dum nomino, grande illud
discrimen, & ut ita dicam inter-
vallum in ipso libri hujus vestibulo
palam facere cogor, quod historiam
inter, & quam dixi historicen intercedit.
Prior enim est, quæ præcepta tradit, qui-
bus narrationis conficiendæ ratio contine-
tur: altera vero, ut Aristotelis doctrinæ

insistam, cujus ope scimus & cognoscimus ea, quæ narrantur, ita ut inter utramque discrimen sit, quale inter filiam & matrem esse solet, quum historia sit nobilis quidam partus fœcundissimæ matris, scilicet Historices. Fateri nihilominus oportet, proximam esse affinitatem inter eum, qui scribit historiam, & illum qui legit. Quippe scribenti opus est multiplici & vasta rerum cognitione, acri judicio, & egregia facultate proponendi ea, quæ narranda suscipit, propriis characteribus insignita, decenterque vestita: nec minus legentis (si tamen cum fructu & emolumento legere velit) legentis inquam est, adferre secum ad hoc studii genus felicem atque fidelem memoriam, in cujus sinum tuto reponere queat ea, quæ legendo percipit; artificii cognitionem non mediocrem, quæ tollat fastidium, animumque dulcedine quadam perliniat; & sano quod vocant cetero, ne veri specie decipiatur, & spurias merces pro genuinis ex ejusmodi officina comparet. Fuerunt tamen, quod mirere, qui ut discrimen hoc Historicen inter & Historiam everterent, nullam esse in rerum natura artem historicam contendebant, sed totum hoc, quantum est, opus scribentis memoriæ, fidelitati, & calamo adjudicarunt: memoriæ quidem, quæ

quæ præterita velut præsentia sisteret; fidelitati, quæ curaret, ne falsi quid se immisceret; demum calamo, qui res gestas cum decoro ad posteritatem transmitteret. Inter hos est Jacobus Zabarella (a), hac nixus ratione, quod nec ab Aristotele, nec ab alio quoquam ars hæc aut ejus præcepta fuisse tradita reperiantur. Sed fallit sane, si non alios, certe se ipsum scriptor hic. Ut nihil dicam de veterum doctis hac in re conatibus: Luciani, Dionisii Halicarnassei (b), Varronis (c), Ciceronis (d), fuerunt e recentioribus Jo-
 vianus Pontanus (e), Hermolaus Barbarus, Franciscus Patricius, Joannes Antonius Viperanus, Ubertus Folietta, Famianus Strada Soc. Jesu (f) qui saluberrimis legibus, illustribus exemplis, & observationibus exquisitis historicam artem plurimum promoverunt ac illustrarunt: Gerardus autem Vossius, ut ipse de se testatur (g), quæ alii præclare de Historia scribenda sparsim edidere, in unum veluti corpus collegit, ac integrum ejus ædificium construxit atque perfecit. Et quidni artem
 histo-

(a) *De natur. Logic.* (b) *In Thucydide.* (c) *In Libro sisenna, sive de historia.* (d) *Lib. I. de Legibus.* (e) *In Actio.* (f) *In Pro-
 lus. Academ.* (g) *In Art. Hist.*

historicam dicamus, cujus definitionem ac divisionem in Divinam & Humanam, in Publicam & Privatam, in eam, quæ de temporibus, ut est Chronologia, quæ de locis, ut Geographia, quæ de familiis, ut Genealogia, quæ de actionibus & rebus, ut Historia proprie dicta: cujus partes, scilicet Narrationem gestorum, Descriptionem rerum, Introductionem concionum & deliberationum, encomiorum ac judiciorum expressionem: cujus materiam, quæ ad actiones omnes hominum se extendit, & formam, quæ in ornatu & stilo, ejusque dotibus sita est, cujus inquam hæc omnia e memoratis paullo ante auctoribus, eorumque præceptis in promptu habemus, & Capite tertio ac quarto hujus libri sumus intellecturi? Neque audiendi sunt, qui hanc artem, ne peculiarem admittere cogantur, vel ad Grammaticam, uti Robertelius (h), vel ad Rhetoricam, ut Marcellinus (i), vel ad Poeticam, ut alii, pertinere invita Clio historiæ Præsidi voluerunt. Quippe Grammatices est, sermonem certis legibus regere, ejusque integritatem custodire: Rhetorica vero apte ad persuadendum dicit, quod verosimilibus argumentis, quæ
falsa

(h) *Dispnt. de facult. Hist.*(i) *In vita Thucyd.*

falsa etiam esse possunt, obtinet: Poesis multa fingit, resque narrat, non quomodo sunt, sed quomodo fieri potuerunt. Hæc omnia longissime absunt ab Historia, cujus character proprius est veritas, & officium narrare res gestas haud aliter, quam ut gestæ sunt.

II.

Stabilita Historices arte, ut magis perspecta reddatur illius indoles, ad finem eidem præfixum accedamus. Non minus heic ipsi, qui de Historice scripserunt, auctores quidam hallucinantur circa finem, quam priore loco circa artis adpellationem. Lucianus in libello hac de re edito unum ait esse opus Historiæ, unumque finem, *utilitatem: jucundum vero, si Et ipsum sequatur, melius hoc esse, perinde ac in Athleta vires requiruntur, forma Et venustas laudatur.* Verum si sola utilitas finis foret historiæ, non video, cur non fas sit Historico prout lubet fingere, quum id liceat Poetis non sine utilitatis proventu, qui ex eorum figmentis percipitur, quandoquidem multa ad similitudinem veri conformare, & illustrium factorum exempla comminisci optime norunt. At major est Græcorum error, qui Historiam manifeste cum Poetica confuderunt, duplicem

A 3

prie-

prioris finem adsignantes, nimirum *delectare & prodesse*, seu utilitatem ac delectationem. Quapropter & recte dixit Fabius (k): *Græcis historiis plerumque Poeticæ similis est licentia*, & recte cecinit Juvenalis (l):

*Et quidquid Græcia mendax
Audet in Historia.*

Quippe dum placere nimium seculo suo, suæque genti narratiunculis in medium allatis studuerunt, vera falsis miscendo, tot aliis seculis, totique posteritati merito displicuerunt, ubique *græcam fidem* exprobranti, nec delectando multum profuerunt. Hoc tamen non prohibet, quo minus Historico liceat adferre delectabilia quædam in narrationis suæ contextu; immo faciet hæc etiam cum laude, modo non ad veritatem corrumpendam, sed ad eam decorandam, faciliusque in legentium animis recipiendam condimenti genus istud adhibeat. Non minus errasse videntur Latini quidam, inter quos ipse Cicero, dum Græcorum errorem corrigere voluerunt, veritatem tanquam finem historię statuentes. *Alias in historia*, inquit Tullius (m), *leges observandas, alias in poe-*

ma-

(k) *Lib. 2. cap. 4.* (l) *Satyr. 10.*

(m) *Lib. 1. de leg.*

mate : in illa ad veritatem quaque, in hoc ad delectationem referri plerique. Verum pace tanti viri dixerim, veritatem nequaquam esse finem, sed solummodo conditionem historiæ, sine qua utique historia non differet a fabula, dum res non ut gestæ fuerunt, sed ut geri potuissent, narrantur. Veritatem quidem omnes amant in historia, veluti lucem in pictura; sed ea etiam inventa non ideo quiescit animus, qui utilitatem ex veritate, veluti aquam ex fonte cupit haurire, ne alias sicco guttore discedere cogatur. Et sane nescio, qua ratione ista cohæreant cum illis, quæ idem Tullius alio loco (n) protulit, dum in historiæ laudes effusus eam nuncupat *Magistram vitæ*. Quare melius ex hac ipsa summi Oratoris sententia verum ac genuinum historiæ finem deduci posse, ac deducendum esse existimo, qui nimirum duplex est : primo quidem, ut conservetur & vigeat memoria eorum, quæ acciderunt; dein ut erudiamur in iis, quæ nobis agenda sunt, quæve cavenda. Audiamus ipsum Ciceronem, dum historiæ definitionibus, quas *conglobatas* vocant Rhetores, describit : *Temporum testem, lucem veritatis, vitam memoriæ,*
magi-

(n) *Lib. 2. de Orat.*

magistram vitæ, nuntiam vetustatis. Ex his palam est tum primus historiæ finis, quem dixi, quique per verba illa *temporum testis, vita memoriæ, nuncia vetustatis* significatur, scilicet perpetuitas & immortalitas rerum gestarum, quarum transmissione ad posteros facilius homines ad id, quod honestum est ac salutare, concitentur, absterreantur a turpibus & noxiis, atque in univèrsum discant, ex præteritis consilia capere in posterum, remque suam tam privatam quam publicam regere exemplis. Quisquis enim animum adplicat ad scribendam rerum sive suarum sive aliarum historiam, id eo primum consilio facit, ut illa factorum memoria facile interitura literarum beneficio longe lateque se se diffundat, & permaneat penes posteros tanquam nobile depositum: tum alter finis non minus præcipuus, quem expriment voces: *Magistra vitæ*, ita tamen ut veritas quasi lucem affundat, sine qua historia plane mortua foret, veluti pictura. Nam si quis Historicum interpellare ausit, quæratque, cur hæc facta conetur apud posteritatem literis propagare, respondebit opinor (si tamen odium amorumque, ac similes animi adfectiones pravas in operis sui molitione procul habeat) respondebit, se id agere, ut aliena per
exem-

exempla compendio doceat, ac futuris seculis ad rectam vitæ rationem instituendam proficit. Nimirum ars hæc geminam instar Jani faciem præsefert, unam anteriorem, posteriorem alteram, quibus & præterita intueatur, & futura prospiciat: intuetur præterita, dum præclare gesta a majoribus recenset, ne unquam oblivioni dentur, neve veteres Heroes jure conqueri possint de Historicis, quod Horatius de Poetis (o):

*Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte carent, quia Vate sacro.*

Futura prospicit, dum præclaris aliorum factis, dictis & exemplis decenter recensitis ad virtutum imitationem & vitiorum fugam etiam absque voce legentium animos vehementer excitat & inflammat, ne contingat, quod Ovidius cecinit.

*Video meliora, proboque,
Deteriora sequor.*

Profecto non satis erat Alexandro M. legisse historiam Homeri, nec Scipioni Africano Xenophontis sermones, quibus Cýrum Regem informabat; parum profecis-

sent;

(o) *Carm. l. 4. Ode 9.*

sent, nec Heroum nomen famamque sibi comparassent, si memoriæ duntaxat mandassent gesta insignia in libris istis expressa, earumque veritate contenti ultra progredi ad ipsam imitationem non voluissent, tacito quodam gloriæ stimulo incitati. Nimirum in generosis animis historia ut par est lecta efficit, quod in Temistocle visa Miltiadis trophæa effecerunt, quibus cupidum gloriæ pectus ita urgebatur, ut quietem capere non potuerit, antequam æquaret vel superaret famam Miltiadis. Quare verbis nonnisi quatuor duplicem, de quo memini, historices finem completi fas erit, dicendo eum esse *memoriam Majorum, & imitationem Posterorum.*

III.

Ne autem nihil omnino tribuere Tullio videar, ajo, veritatem, quamvis ad rationem finis non adsurgat, conditionem esse adeo necessariam historiæ, ut absque illa placere, finemque suum consequi haud possit; immo historia esse desineret, ac in fabulam migraret, si veritate destitueretur. Hinc merito idem Tullius *lucem historiæ* nuncupavit, quoniam sine lucis adminiculo, quid rerum geratur, videre nequaquam possumus. Sed ubinam hanc est invenire? heic Rhodus; heic Saltus,
ut

ut nihil dicam, rerum gestarum veritatem multis tenebris esse involutam, ut accessus ad eam sæpe non pateat, vel certe ægerrime, idque ob simulationes & fallacias hominum, foris longe aliam induentium faciem, quam quæ intus abscondita latet: non raro debile lumen est intellectus penes illos, qui scribunt, ita ut falsa inter & vera parum discernant: quid fiet, si præjudicatæ opiniones, sinistra adfectiones, adulandi studium, metus vel spes a potentibus, aut omnino mala fides accedant? Quum igitur veritas partim sit sua-pte natura hominibus admodum incognita, partim ab his ipsis vel ignorantia vel malitia corrumpatur, res plena difficultatis est, ut ea casta & integra in publico compareat. Unde Vopiscus (p) adserere non dubitavit, *neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum.* Idem ironice loquens: *scribe securus, ait, dicas quidquid velis, habiturus mendaciorum comites, quos historicæ eloquentiæ miramur Auctores.* Itaque qui veritati servire in scribendo desiderat, laudemque promereri, quam Thucydides tulit a Cicerone (q), quod sit *rerum gestarum pronunciator sincerus*, omnium primo animum a minus puris affe-

cti-

(p) In Prefat. ad hist. (q) De Clar. Orat.

Atibus liberum reddere debet: tum sagaci ingenio venatoris instar e latibulis veritatem extrahere, aut si hoc nequeat, illa quæ rem gestam circumstant, ita fideli sermone legentium oculis exhibere, ut ipsorum potius sententiam expectet, quam suam prior obtrudat. Patet igitur, veritatem non esse *finem*, sed conditionem seu *lucem* historiarum.

§. II.

Utilitas Historices.

IV.

A fine historices ad utilitatem venio, cuius maximam rationem esse habendam jam olim pronuntiavit Plinius (r), ubi veterum Historicorum sinceram in scribendo mentem laudavit inquis: *Utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi.* Hanc utilitatem, simulque artis istius præstantiam, ejusque dotes Focas Grammaticus, idem & Poeta, nobilissima Ode celebravit, quæ ob elegantiam suam sane locum hoc in paragrapho meretur.

*Apostrophe ad Musam Clivo dictam,
Historices Præsidentem.*

O Vetustatis memoranda Custos,
Regios actus simul, & fugaces

Tem-

(r) *Præfat. ad Hist. Natur.*

Temporum cursus docilis referre
Aurea Clio.

Tu nihil magnum finis interire,
Nil mori clarum pateris, reservas
Posteris prisca monumenta seculi
Condita libris

Sola fucatis variare dictis
Paginas nescis: sed aperta quidquid
Veritas prodit, recinis per ævum
Simplice lingua.

Tu senescentes titulos laborum
Flore durantis reparas juventæ.
Militat virtus tibi, te notante
Crimina pallent.

Tu fori turbas, strepitusque litis
Effugis dulci moderata cantu,
Nec retardari pateris loquelas
Compede metri

Ne vero encomium hoc Poeticæ tribua-
mus licentiæ, quæ res etiam tenues solita
sibi metamorphosi in grandes convertere
novit, consideremus nonnihil attentius
emolumenta: primum quidem ea, quæ
communi hominum generi, tum illa quo-
que, quæ variæ illorum conditioni ex Hi-
storia, quæ ejusdem opus est, obvenire
solent, plane maxima. Quid obsecro ac-
cedere hominibus potest jucundius, quam
animi cogitationes in secula ante acta re-
tro reflectere, perque totius Antiquitatis
regnum

regnum latissime patens curiosa mentis indagine vagari? Ibi urbes, Respublicas, regna, Monarchias exiguis initiis surgentes, heic funestis casibus inter se collisas & cadentes intueri? Isthinc Philosophorum, Poetarum, Oratorum oracula auribus percipere: illinc Magistratum Procerum, Principum Ordines, leges tribunalia, honorum gradus, variasque regiminum formas velut coram spectare? quanta aviditate ancipites bellorum eventus inter alios atque alios Reges ac populos temere exultantes, istorum clades, illorum triumphus percipiuntur? heic maria, portus, classes quasi natantes in Oceano urbes ante oculos versantur: ibi palatia, castra, munimenta, porticus, amphitheatra se sistunt; alibi urbium clarissimarum ruinae, pyramides, mausolea, & heroum exuvia cernuntur: ubique pretiosa vetustatis monumenta cedrinis notata membranis occurrunt. Historia una est, quae in his amplissimis humanitatis finibus tam grandia rerum spectacula, tam jucunda priscaevi theatra nobis praebet & intuenda & suspicienda. Historia una est, quae efficit, ut praeteritis non minus videamur interfuisse, quam praesentibus, illisque uti possimus, perinde ac nostris. Quidni igitur utilitatem hanc percipit maxime

xime juvenus, quum hac sola ratione senium prævertere possit? nam ut Tullius loquitur: *Nescire, quid antequam natus sis, acciderit, est semper esse puerum, & Sacerdos ille Ægyptius, vel ut alii scribunt, Gymnosophista Indus, Græcos, quantumvis provectæ ætatis, qui recollectionem priscae memoriæ non tenerent, pueros adpellavit. Profecto historia si adsit, ex pueris facit senes; si absit, e senibus pueros. Est enim testis temporum, & nuncia vetustatis.* Quis jam non miretur, fuisse quosdam (nunquam enim defunt malarum causarum patroni) in tanta veritatis hujus luce ac pleno meridie, qui veteris memoriæ cognitionem inutilem esse sibi persuaderent? & en! gravissimum, si superis placet, argumentum, quo ducuntur ad rem adeo heteroclitam adferendam. Mutatus est modò, ajunt, rerum ordo in hoc universo, longeque alia nostris temporibus facies est, quam antiquis: alia ratio victus, cultus, morum: alius habitandi, gerendi bella, populus & civitates administrandi usus: alia studiorum, rituum, Civilis ac Ecclesiasticæ politicæ forma. Si Soloni, Lycurgo, Ciceroni, Alexandro, Hannibali, Scipioni, Julio Cæsari, Augusto ex inferis in hunc orbem emergendi venia daretur, cernendique

ea,

ea, quæ nunc in illo geruntur, tantopere diversa a temporum suorum moribus, se ipsos non caperent, mallentque reverti, unde venerant, quam intueri tantam rerum metamorphosin. Ad quid ergo in nobis tam insana cognoscendi veteris ævi cupido, qui nostro rite noscendo vix sufficimus? Quæ utilitas intelligere, quid olim egerint homines, quum modo homines longe aliter agant, aliter vivant? Verum quidem hoc est, mutata esse ac mutari quotidie pleraque, quæ sunt voluntatis nostræ atque industriæ, semper inquietæ nunquam fixæ ac stabilis: non tamen mutantur prima rerum principia, quæ mentibus hominum indidit natura, & naturæ Auctor Deus, nimirum causæ affectuum animi, eorumque actiones & effecta, virtutum ac vitiorum semina, quæ eadem semper manent, licet diversis sub formis, diversoque habitu pro temporum vicissitudine adpareant. Idem ardor, qui olim, nunc quoque militares accendit animos: idem est honesti stimulus, eadem potentiae vis, eadem beate vivendi cupiditas eadem in dominis imperandi licentia, in servis obsequendi religio: idem ambitionis, luxus, avaritiæ studium, eadem vitiorum pœna, idem virtutum honos & præmium. Multa tamen, quin plurima,

in utramque partem discere possumus ex antiquis moribus, quæ in nostris desideramus: historia est veluti exemplar eorum quæ sequaris, quæve devites. Quam felicius est alienis malis admonitum sapere, quam propriis.

Non ignava mali miseris succurrere disco.

Libentius quoque ac promptius imitatur quisque, quod admiratur. Quis non citius adducitur, ait Ludov. Vives (s) ad fidem servandam unico M. Attilii Reguli exemplo, quam viginti ea de re documentis? tum ad fortiter perferenda quæque durissima pro Christo cruentis Martyrum vestigiis, quam centum Theologorum monitis? magisque a sceleribus absterremur tristi hominum flagitiosorum exitu, cujus rei tot monumenta in Veteris ac Novæ legis historia occurrunt, quam mille de criminum detestatione libris Philosophorum?

V.

Sed a communi ad privatam, quæ ex historia manat, utilitatem pergamus, quam ipsa historia & historicorum volumina nobis declarant. Æneas Sylvius (t)

(s) *De corrupt. art.*

(t) *De dictis Alphonsi Regis.*

& Antonius Panormitanus (u) referunt de Alphonso Hispaniarum & Siciliae Rege, eum Capuae gravi morbo correptum decubuisse, quem nulla Machaonum industria, nulla pharmacorum vis levare poterat. Unicum erat ægro solatium (ut erat Princeps literarum & librorum amans) Q. Curtii de rebus ab Alexandro M. gestis lectio, qua per dies plures continuata non animo duntaxat, sed & corpori vires redire sensit, ita ut brevi temporis spatio pristinae valetudini restitutum se viderit, plaudente Aula, stupentibus Medicis; ipse vero Rex jam sanus & sospes pronunciare palam non dubitavit: *Valeat Avicenna, valeat Hippocrates, valeant Medici; vivat Curtius sanitatis restaurator meæ*; Ecce! nobilissimum pharmacum non emyropolio, sed e bibliotheca depromptum. At si fuit ita corpori, quomodo erit animo salutaris historica lectio? Profanum ac sacrum subministro exemplum. Expertus est id L. Lucullus homo militaris literarum pene rudis, qui teste Cicerone, quum ex Urbe in exterarum regiones profectus totum iter terra marique partim percontando a rerum peritis, partim heroum gesta legendo impendisset, in Asiam postmodum venit Imperator tantus, ut Mithridates Rex post Alexandrum

M.

(u) *De rebus gestis Eiusdem.*

M. maximus majorem hoc belliducem se cognovisse negarit. Expertus est idem D. Ignatius Lojola: hic quum Pampelonam obsessam adversus Gallos strenue defenderet, missilis globi impetu fracta tibia æger decubuit. Itaque affixus lectulo fallendi temporis causa quum profanum quempiam librum poposcisset ex iis, quos antea per otium lectitare consueverat, divino plane consilio factum est, inquit Petrus Maffejus, nullus ut eo tempore domi liber esset ejusmodi: at vero longe meliores alii duo reperti sunt, Hispanico sermone conscripti, quorum alterius *Vita Christi*, alterius quo selecta virtutum exempla continebantur, *Sanctorum Flores* erat inscriptio. Ea videlicet lectio salutis initium adtulit homini: dum enim oblatos sibi libros variis locis quasi aliud agens delibat, sensim capi cœptus est pulchritudine eorum, quæ scripta reperiebat, atque adeo inter ipsam lectionem, ubi quidpiam insigne cognoverat, subsistere, secum ipse deliberans: quid si præclarum hoc Sancti Dominici facinus, quid si hoc Sancti Francisci Deo fretus aggrediar? His demum animatus, & melioris sacratorisque militiæ Dux effectus vitiis & hæresi bellum indixit, triumphis & prodigiis clarus. Sed non solum in castris militat, ve-

rum etiam in solis regnat Historia : hujus studio Basilus Imp. tantum detulit, ut libellum conscribere non dubitavit, cui titulum præfixit κεφάλαια παρευτικά. In isto historiarum studium Leoni filio suo his verbis memoratu dignissimis commendat (x) : „ Per veteres historias ire ne
 „ recusa; ibi enim reperies sine labore,
 „ quæ alii cum labore collegerunt; atque
 „ illinc hauries & bonorum virtutes, &
 „ improborum vitia: varias humanæ vitæ
 „ mutationes, & rerum in ea conversio-
 „ nes: mundi hujus instabilitatem, &
 „ Imperiorum præcipites casus: & ut
 „ verbo complectar, malorum facinorum
 „ pœnas, & bonorum præmia, quorum
 „ illa fugies, ne in justitiæ divinæ manus
 „ incidas: hæc amplecteris, ut præmiis,
 „ quæ ea comitantur, potiaris. „ Infor-
 matus in Principe filio Principem nume-
 ris suis absolute arbitratus est Impera-
 tor, non fore melius atque potentius mo-
 nitum, quam ab historiarum studio, & histo-
 ricorum lectione petum. Nam historia
 est *Magistra vitæ*, ut audivimus ex Tul-
 lio, ac *morum gubernatrix*. Reges ibi
 inveniunt optima documenta recte admi-
 nistrandi regnum, amplificandi, beatos
 reddendi subditos: Belliduces artem for-
 titer

titer milites in officio continendi, provide præliandi, feliciter obtinendi victorias: Viri fortes stimulum ad magna audenda, & ardua sustinenda: segnes exempla, quibus excitentur: vitiosi flagitia punita deprehendunt, quum historia instar gravissimi censoris libere atque licenter de illis objurget. Hinc Demetrius Phalereus, uti memorant Plutarchus (y) & Lucretius (z), Ptolemæum Regem adhortari solitus est, ut libros sibi pararet, de regno deque militari disciplina tractantes, eosque diligenter evolveret, propterea quod in istis ea, de quibus Amici & Purpurati non audent admonere Reges, sit lecturus, quin irascatur, & amplexurus, quin verecundetur. Nihil autem ad historiæ utilitatem explicandam, nihil ad artis hujus studium commendandum adferri potest jucundius simul ac magnificentius, quam Parænesis illa, qua Claudianus Honorium Imperatorem interpellavit tanquam de re Viro Principe dignissima, ita canens:

Interea Musis animus, dum mollior in-
stat,

Et quæ mox imitere, legas, nec desinat
unquam

Tecum

(y) In Græc. Apophteg. (z) Lib. 5. c. 5.

22 Cap. I. Indoles, finis,

*Tecum Graia loqui, tecum Romana ve-
tustas.*

*Antiquos evolve Duces, assuesce futurae
Militiae, Latium retro te confer in
ævum.*

*Libertas quaesita placet? Mirabere Bru-
tum.*

*Perfidiam damnas? Metii satiabere pæ-
nis.*

*Triste rigor nimius? Torquati despice
mores.*

*Mors impensa bonum? Decios venerare
ruentes.*

*Vel solus quid fortis agat, te ponte so-
luto*

*Oppositus Cocles, Mutii te flamma do-
cebit.*

*Quid mora perfringat, Fabius. Quid
rebus in arctis*

*Dux gerat, ostendet Gallorum strage
Camillus.*

*Discitur hinc nullos meritis obfistere
casus.*

*Prorogat æternum feritas tibi Punica
famam.*

*Regule: Successus superant adversa Ca-
tonis.*

*Discitur hic, quantum paupertas sobria
possit,*

¶ *utilitas hujus artis.* 23

*Pauper Fabricius, Pyrrhi dum sperne-
ret aurum,
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.*



CAPUT II. HISTORIA HISTORICES.

§. I.

Origo Historiæ.

VI.

Nilum fluvium, etsi fecundissimum ce-
lebrent Poetæ: *Qui totam Ægyptum
stagnantibus alluit undis, & septem
ostiis in mare se exonerantem prædicent
Historici:*

Septemplicis ostia Nili.

Utrique tamen, si de veteribus sermo sit,
ortum illius & fontem haud potuerunt de-
prehendere, immo negotium hoc humana
indagine majus esse crediderunt. Idem
historiæ contingere mihi videtur: adeo
diversæ scriptorum de illius origine, seu
potius de primo ejus auctore opiniones
circumferuntur. Quidam omnium scien-
tiarum & artium primordia a temporibus

fabulosis repetentes Musarum uni, Clio dictæ, inventionis hujus gloriam tribuunt, inter hos Apollonii Scholiastes erat, dum inquit (a): *Clio Musarum una historiam invenisse scribitur. Ægyptii, gens superstitiosa, & Sacerdotum suorum venerationi nimium quantum obnoxia, credentes, nihil quod sapientiam olet, nisi ex illorum ore profluxisse, primos historiarum conditores eos ipsos celebrarunt, quibus favere videtur Flavius Josephus in primo contra Apionem libro. Græci principem inter Historiographos locum Cadmo Milesio deferunt, quibus adsentitur Plinius (b) dicens: Cadmus Milesius omnium primus historiam condidit. Sed Josephus (c) Cadmum hunc inter Græcos duntaxat primum, qui historiam scripserit, fuisse tradit. Apuleius (d) Pherecydem Syrum primum soluta oratione res gestas narrasse tradit, atque ita historiarum initium, quæ soluta oratione conscribitur, eidem adjudicat tanquam parenti. Sed male: nam Pherecydes teste Eusebio circa prima Olympiadis tempora floruit: Moses autem, quem postea Historiarum conditorem dicemus, vixit annos 788. vel 811. ante Joathan Judæorum Prin-*

(a) *Lib. 3.* (b) *Lib. 7.* (c) *Volum. 1. Antiqu.* (d) *In Floridis.*

Principem, cujus tempore, vel potius paullo ante Olympiades cœperunt. Strabo (e) non solum ad Pherecydem, sed ad Cadmum etiam & Hecataeum historiae originem refert: Laertius vero Diogenes auctor est, ex Philosophis primum historias composuisse Xenophontem. Verum hos omnes Mose posteriores fuisse constat. Latini demum Saturno suo, postquam e Creta insula a Jove filio pulsus in Italiam adpulit, honorem hunc vendicant, jactitantes cum Macrobio (f), ante Saturni in Italiam adventum nullam dignationem habuisse historiam: sed postquam is rudem populum collegisset, illam quasi vocalem redditam fuisse. Atque hanc ob rem olim Romæ fastigio Fani Saturno dicati Tritones superimpositi cernebantur, ea forma, ut buccinas manibus tenerent, ore inflatas, caudas vero humi repentes & absconditas gestarent; quo velut symbolo volebant indicare, ante Saturnum omnia occulta, post illum omnia per observationem & historiam clarissima fuisse reddita & palam facta. Alii vero Romanorum post Numam Pompilium ortam esse historiam contendebant, scilicet

ex

(e) *Lib. I. Geograph.*(f) *Lib. I. Saturn. c. 8.*

ex Annalibus Pontificum, in quos res gestæ Romanorum ab his referri solebant. En diversas admodum opiniones diversarum veteris ævi Nationum, quavis historiæ repertæ palmam pro se suisque ambiente: nec deerant Scriptores, ut vidimus, qui adularentur illis.

At ævi Christiani Auctores fere omnes consentiunt, Mosen non solum prima hujus artis fundamenta jecisse, sed & præ omnibus aliis primum fuisse historicum Scriptorem. Inprimis enim fateri oportet, pleraque de rebus Græcorum ante Olympiades, & de rebus Romanorum ante Urbem a Gallis captam fluxa incertaque fuisse. Dein, licet Josephus favere videatur Ægyptiis & Babylonis Sacerdotibus, vix non gentis suæ oblitus, quum ait (g): *Quoniam vero apud Ægyptios & Babylonios ex longissimis olim temporibus circa conscriptiones diligentia fuit, quando sacerdotibus erat injunctum, & circa eas ipsi philosophabantur, mox tamen quasi ad se rediens subjunxit: De nostris vero Progenitoribus, qui eandem, quam prædicti habuerunt in conscriptionibus diligentiam, desino dicere etiam potiolem, Pontificibus & Prophetis imperantes &c. ex quibus illud duntaxat argutari licet, antiquissimum fuisse*

(g) Volum. I. Antiqu.

fuisse tum apud Ægyptios & Babylonios, tum apud Hebræos sacerdotes morem conscribendi Annales, qui tamen ab Historia, ut suo loco dicemus, multum differunt. Denique quid multis opus est? habemus ante oculos historicum opus, scilicet Pantateuchum, cujus Auctorem omnes agnoscunt Mosen. Hic autem & Cadmum, & Pherecydem, & Hecataëum, & Xenophontem, & Saturnum, cunctosque, quos primos historiæ inventores celebrat ambitiosa vetustas Græcorum & Latinorum, ætate antegressus est. Quapropter antiquissimus Seculi IV. Scriptor Eusebius Cæsareensis (h) fidenter asserit: *Unde Sapientissimus ille Moses, qui primus cujusque hominis vetustissimi vitas Hebræorum conscripsit, civilem atque in actione positum vivendi modum narratione historica docuit.*

VII.

Et vero Moses primus Hebræorum gesta conscripsit, & vivendi modum narratione historica docuit: atque ita & Historici munus, & historiæ finem plene adsecutus est, utpote quem non ita pridem diximus esse duplicem, nimirum *memoriam Majorum, & imitationem Posterorum.*

Ne-

(h) *Lib. II. de prepar. Evangel.*

Neque etiam veritas defuit, aut deesse potuit scriptori nostro. Non inquam defuit, quum rerum ante se gestarum notitiam e puris fontibus hauserit, scilicet ab Adamo communicatam Lamecho Nepoti, a Lamech Noemo filio suo, ab hoc Abrahamo, ab Abrahamo Isaaco, ab isto Jacobo, a Jacob Levi, a Levi Caath, a Caath Amramo, qui Mosis Pater existit. Quivis enim horum vel a Patre, vel ab Avo aut Proavo adhuc in vivis agente mirabilium Dei operum, & rerum ab hominibus gestarum seriem excepit, suisque denuo filiis & nepotibus instar hæreditariæ portionis reliquit. Neque etiam veritas deesse potuit, quum seu inspirante seu dirigente, ne quid falsi interveniret, Spiritu Sancto, veritatis omnis fonte, historiam suam scripserit Moses, ita ut non tam hujus, quam ipsius Dei Verbum sit. Nihil porro partitionis, aut artificii, quibus etiam ævo nostro historices Magistri utuntur, in Pentateucho desideratur. Solent partiri historiam in Chronologicam, Geographicam, Genealogicam, & eam, quæ actionum, ac rerum est, seu Historicam proprie dictam. Nemo sane Mose exactior in inveniunda temporum ratione, in generationum ac familiarum recensione, ut patet ex libris Genesis & Numerorum: nemo peritior illo

illo in descriptione regionum, urbium, & locorum, castrorum &c. quemadmodum liber Exodi palam facit: nemo fidelior & admirabilior in enarrandis prodigiis Dei, gestis & dictis Patriarcharum, sacrificiis, bellis, faustis & felicibus eventis &c. Ad artificium quod adinet, quo minus adparet prima fronte, eo majus est, quum non quæsitum, sed velut sponte natum sit. Certe narrationes sunt patheticæ, descriptiones vivæ, characteres personarum nobiles, conciones seu orationes energeticæ, sententiæ gravissimæ, digressiones mirabiles, affectus dominantes, stilus vel ipsa simplicitate sua magnificus, quemadmodum omnes fateri debent, qui in legendis intelligendisque S. Bibliis diu multumque sunt versati, id quod pluribus in libro *de Theologia Positiva* demonstrabo. Huic autem labori historico immortalis est Auctor Moses anno centesimo vigesimo ætatis suæ, mundi vero bis millesimo quingentesimo vigesimo tertio, ut Bellarminus computat, vel ut probabilius Labbe, octogesimo quarto. Itaque palam est primus historiæ scriptor, primumque opus historicum, hoc nomine dignum, idque sacrum; ut agnoscamus, historiam sacram & tempore, & rerum gestarum magnitudine, & narrationis veritate profanam
lon-

longissimo intervallo antecessisse ac superasse.

Aperta semel via per Mosen, longo agmine secuti sunt, sacræque historiæ scribendæ se accinxerunt Duces, Reges, & Prophetæ populi Israelitici. Et quidem Josue, Mosis in Principatu Hebraico successor, ea memoriæ prodidit, quæ ab obitu Mosis in Deuteronomio continentur, uti plerique existimant: librum præterea composuit, suo nomine insignitum, videlicet *Josue*. Samuel vero, ultimus populi Judex libros Judicum & Ruth: Gad & Nathan (uterque a secretis Davidi Regi) libros Regum: Esdras & Nehemias libros *Esdræ* nuncupatos: alii (nam de Auctorum nomine non satis certa est fama) libros Tobix, Judith, Esther, & Job elucubrarunt. David & Daniel tum præterita tum futura partim narrando, partim vaticinando complexi sunt: Salomon Rex pulcherrimas morum doctrinas addidit in libris Proverbiorum, Ecclesiastæ, Canticorum, & Sapientiæ: Prophetæ majores & minores tum plana & aperta narratione res gestas, tum involuta & vaticinaria gerendas describere, monitis & minis pleni: Joannes Hircanus, & Jason Cyrenæus fortia Machabæorum facta palam fecerunt, & laudarunt. His merito ac

cen-

consentur (licet fide multo minores sint, nec majores humana) duo Judaicarum rerum, bellorum, rituum, legum, victimarum &c. ad veterem Religionem spectantium Scriptores historici, datoque etiam de Messia adventu testimonio celebres, Philo Hebraeus, qui sub Caeso Caligula floruit, & Flavius Josephus Matathiae filius. Novae autem Religionis historiam omnem, tum Christi Dei-hominis vitam, doctrinam, miracula & mortem, gloriosam anastasin, & in caelos ascensum: tum Apostolorum Acta & labores pro Ecclesia Dei exantlatos calamo suo illustrarunt Evangelistae. Haec facies erat nascentis historiae sacrae, & Ecclesiasticae.

VIII.

Ad profanae primordia, ejusque scriptores transire lubet. Ubi Moysi libri late sparsi fuerunt, nec solum per Judaeorum sed & finitimarum gentium manus circumferebantur, incidentes in eos quidam Poetarum Graecorum, seu rerum quae legentibus mirabilium amore capti, seu suo prope ad fingendum & placendum ingenio stimulati, non pauca e sacris illis libris decerpere, & vera falsis miscentes historiam in fabulam migrare jusserunt. At post tempus aliquod Philosophi melioris
notae

notæ detractis fictionum larvis veritatem nudam sistere, suamque morum doctrinam & præcepta inde cœperunt eruerre, quamvis veræ fidei luce destituti & ipsi errores suos non parca manu insperferiat. Alii demum ingenii & scribendi facultate præstantes, quum non sine voluptate Patriarcharum res præclare gestas, populi electi mores, itinera, sacrificia, bella, aliosque eventus admiratione dignos in his libris sacris descriptos perlegissent, adjecerunt animum & calami ad suorum quoque Heroum facta celebranda, ad populorum gentilium mores & ritus, ad regnorum & rerum publicarum vicissitudines describendas. Hunc laborem suscipere maximi quique Viri post institutas Olympiades. Nam *omnis Græcorum historia, quæ has præcessit, Varroni visa est fabulosa*, inquit Musan-tius (i). Primus qui nomen Historici profani meretur, Herodotus fuit, qui Halicarnassi, Cariæ urbe, primam lucem aspexit anno M. 3520. seu Olympiadis LXXIII. ultimo. Historia, quam condidit, vastum argumentum complectitur, nimirum plurima, quæ in Asia, Africa, Persica, Scythia, Græcia, variisque regionibus aliis per ducentos & quadraginta

annos

(i) *In Face Chronolog.*

annos gesta fuere: novem libris, quibus totum opus constat, singulis singula Musarum nomina imposuit. Plutarchus quidem malæ fidei, Ctesias ignorantia, Strabo fabularum postulat Herodotum; sed Cicero & Quinctilianus, alique apud Aldum Manutium summis ejus historiam laudibus extollunt. Certe Tullius (k) Herodotum *historiæ Patrem* vocat: Fabius (l) *Historiam*, ait, *multi scripsere præclare, sed nemo dubitat, duos (Herodotum & Thucydidem nominat) longe cæteris præferendos, quorum diversa virtus laudem pene parem est consecuta.* Thucydides illustri Athenienses inter cives genere editus circa annum M. 3503. Olympiadis LXXVII. primum, Herodoti historiam dum legi audiret adolescens, in lacrymas effusus totum se studio huic consecravit. Tum bello Peloponnesiaco primis octo annis præsens, postmodum omnia per viginti & unum annum in eodem ab Atheniensibus & Spartanis gesta posteritati reliquit. Fidei ac sinceritatis, exactæque in scribendo methodi laudem ab omnibus tulit: *fabulosum* inquit Dionysius Halicarnasseus (m) *in suos libros nihil*
- in-

(k) *Lib. I. de Leg.* (l) *Lib. 10. Instit.*

(m) *In Judic. de Thucid.*

induxit, neque in eam partem deflexit, ut multitudini fraudem & tanquam imposturam faceret, quo in genere superiores omnes peccaverunt: & Cicero (n) Thucydidem inquit omnes dicendi artificio vicit. Xenophon in lucem editus anno M. 3511. & Olympiadis LXXVIII. quarto, Cyropædiam seu Institutiones Cyri Regis octo libris comprehendit: scripsit idem de expeditione Cyri Junioris libros septem, totidem de Hellenica, seu Græca historia: unum de Agesilao, de Lacedæmoniorum Republica, uti & Atheniensium, pluraque alia. Cicero quidem & alii judicant, Xenophontem non ea, quæ Cyrus re ipsa egit, sed quæ a Rege optimis dotibus instructo agi oporteret, sua in Cyropædia exponere voluisse. At non desunt, qui octo libros illos majorem, quam ea quæ Herodotus recenset, fidem promereri existimant. Cætera Tullius (o) Xenophontis ore Musas locutas esse ait, & Quinctilianus: quid ego commemorem Xenophontis jucunditatem illam in affectatam, sed quam nulla possit affectatio persequi? ut ipsa finxisse sermonem Gratiæ videantur, & quod de Pericle veteris Comædiæ testimonium est, in hunc transferri justissime possit: in labiis ejus sedisse quandam persuaden-

(n) *Lib. 2. de Orat.* (o) *Lib. 6. de Orat.*

dendi Deam. Polybius Megalopoli oriundus anno M. 3756., quarto Olympiadis CXLIII. non minus calamo, quam gladio strenuus erat, variis Romanorum bellis ac præliis ipse præsens. Historia, quam maxima ex parte Romæ elaborasse creditur, ea complectitur, quæ belli Punici initio usque ad ejus finem & Macedonici regni interitum variis in orbis partibus memoratu digniora evenerunt. Ex quadraginta ejusdem libris primi duntaxat quinque, & duodecim sequentium synopsis ad nos pervenit. Id præcipue ab omnibus scriptoribus laudi datur Polybio, quod in conscribenda historia majorem illo industriam nullus impenderit, ne quid in libros suos irreperet a veritate alienum. Diodorus Siculus Romæ floruit Julii Cæsaris & Augusti temporibus, ubi sua in historia perficienda annos triginta infumisse fertur. Huic Bibliothecæ nomen indidit, quod ea quæ a veteribus scriptoribus Theopompo, Ephoro, Beroso, Callisthene, atque Timæo literis consignata fuerent, in unum ipse opus collegerit: sed ex bibliotheca hac libros quadraginta complectente nonnisi quindecim præter nonnulla fragmenta modo comparent. In his Ægyptiorum, Assyriorum, Indorum, Scytharum, Arabum, Æthiopum, Græ-

corum, & res Siculas refert. Etsi autem vitio illi detur, quod materiam justo amplio- rem sine debito rerum delectu pertra- ctarit, ejus tamen Bibliotheca historica plurimi fit a plerisque, ac Rapius Noster in antiquis scriptoribus versatissimus cum magni characteris virum adpellat. Dio- nysius eandem cum Herodoto patriam na- ctus, & Halicarnasseus est dictus. Ex vi- ginti antiquitatum Romanarum libris un- decim tantum una cum quibusdam laciniis edaci tempore fuerunt subtracti. Multi scriptorum, qui Dionysii hujus historiam accuratius evolverunt, summam in eo eruditionem, miram judicii vim, præ- stantiam ingenii ac facilitatem, mentem omni disciplinarum genere excultam, constans veritatis studium, animum præ- judiciis vacuum, impiorum Numinis pro- videntiam rejicientium acre odium susce- perunt. Profecto Henricus Stephanus Romanam historiam non potuisse elegan- tius conscribi censet, quam græco ser- mone a Dionysio, & latino a Livio. Pla- tarchum Cheronæa urbe Bæotia oriun- dum opera ejusdem edita insignem Philo- sophum, Historicum summum, & facun- dissimum Oratorem fuisse commonstrant. Præcipuum & elegantissimum ex iis, quæ reliquit, sunt vitæ virorum illustrium,
Roma-

Romanorum æque ac Græcorum, ob quas præstantissimi Historici nomen apud omnes obtinuit. Quippe tum publicam tum privatam horum vitam ad justitiæ, temperantiæ, prudentiæ, ac fortitudinis leges solícite expendit, unde vera gloria & estimatio dimanat: & licet stili ratio apud Plutarchum nec elegans, nec sublimis videatur, miram tamen vim habet perpaucis vivas rerum imagines, sensusque grandes exprimendi, & suos etiam aculeos defigendi. Post hos memorandi veniunt Arrianus, qui septem libros de expeditione Alexandri M. exaravit, (octavus enim de Indiis est, velut priorum appendix) & ob stili amœnitatem novi Xenophontis nomen adeptus est: Appianus, qui Romanam historiam vulgavit in tot libros divisam, quot nationes sunt, quas Romani subegerunt. Pretium ferunt ejus orationes ad concitandos militum animos aptissimæ: Diogenes Laertius Philosophorum vitas libris decem spectandas exhibuit, qui magnæ utilitatis sunt Eruditorum judicio: Herodianus octo libros historiæ, scilicet ab obitu M. Aurelii usque ad Gordianum III. posteritati reliquit. Si Photio fides est, cunctis dotibus, quæ historico conveniunt, rite expensis, paucos invenire est, qui Herodianum superent: Dio

Cassius Romanam historiam octoginta libris ab ipsa urbis origine usque ad Alexandrum illustravit; sed reliquis deperditis trigessimus quintus nobis primus est: in prodigiis quibusdam enarrandis Rapini iudicio non tantum a veritate, sed etiam a verosimili discessit.

IX.

A Priscis, qui primi profanam historiam græco sermone condiderunt, ad veteres Latinos, ejusdem scriptores fama celebriores venio. Omnium vetustissimi censentur Quintus Fabius Pictor, L. Cincius Alimentus, M. Porcius Cato, & L. Calpurnius Piso; sed Historicorum nomen hi vix, ac ne vix quidem merentur. Nam ut Cicero (p) ait: *Sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt*, ita ut eorum lucubrationes annalibus potius quam justæ historiz similes adparerent. Ab ævo autem Ciceronis Latina historia, suo in ortu agrestis, postea decenti ornata vestitu admirationem æque ac amorem sibi conciliavit. C. Julius Cæsar toga sagoque nobilissimus Commentariis seu libris septem de bello Gallico, tribus de civili inclauit,

(p) *Lib. 2. de Orat.*

ruit, qui licet ornamentis quibusdam carere videantur, summa tamen illis inest sermonis integritas, elegantia, & brevitatis, de his grave Ciceronis testimonium habemus: *Ineptis fortassis, inquit (q), gratum fecit, qui volent illa calamistris inurere; sanos quidem homines a scribendo deterruit: nihil enim est in historia pura & illustri brevitare dulcius.*

Cornelii Nepotis, Ciceroni & Attico familiarissimi, vitæ tum Græcorum tum Romanorum e multis aliis, quæ scripsit, ad nostram ætatem pervenerunt. Non vulgaris ejus laus est, quod veri honoris, probitatis, ac boni publici studium cum sermonis elegantia singulari, & fidei candore in scribendo conjunxerit. Hoc opus Theodosio Imperatori Æmilius Probus tanquam a se elucubratum obtulisse fertur: unde diu Æmilii Probi nomen gessit, sed detecta tandem fraude suus Cornelio restitutus partus, Æmilius vero perpetua plagii ignominia notatus fuit.

Crispus Sallustius Amiternus, in Vestinis oriundus, præter conjurationem Catilinæ, & bellum Jugurthinum Historiam quoque Romanam edidit, qua S. Augustinus
usum

(q) *Lib. 2. de Orat,*

usum se fuisse testatur in libris de Civitate Dei, cujus tamen fragmenta duntaxat aliqua, & quædam orationes supersunt. Res admiratione digna est, Sallustium ob dissolutos mores a Censoribus Senatu pulsum fuisse: historici tamen partes ita explevisse, ut Martialis de illo testatum reliquerit (r):

Crispus Romana primus in historia.

Quintilianus vero eum Thucydidi præponere non fuerit veritus. Titus Livius nobili genere Patavii prognatus, Romæ Mæcenatis opibus & amicitia fretus in lucem dedit opus diu meditatam, nempe historiam, quam ab ipsis Urbis incunabulis usque ad Drusi mortem seu annum septingentesimum quadragesimum septimum ingenti felicitate deduxit. Ex centum quadraginta, vel ut alii asserunt, centum sexaginta duobus libris nonnisi triginta quinque ævo nostro transmissa fuerunt. Dotes hujus scriptoris celebrat Fabius, dum ait (s): *Ne indignetur sibi Herodotus æquari Titum Livium, cum in narrando miræ jucunditatis clarissimæque candoris, tum in concionibus supraquam dici potest, eloquentem: ita dicuntur omnia cum rebus tum personis accom-*

mo-

(r) *Lib. 14. Epigr.* (s) *Lib. 1. Instit. c. 1.*

modata; sed affectus quidem, præcipue eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo Historicorum commendavit magis, ideoque immortalẽ illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus est affecutus.

Cajus Cornelius Tacitus historiæ scribendæ jam provecta ætate se addixit: librum de situ, moribus, & populis Germaniæ: historiam quoque a Neronis interitu usque ad Domitiani cædem: demum Annales ab excessu Augusti usque ad Galbæ initium exaravit. Non idem omnibus de Tacito sensus & judicium est: Lipsius cum aliis ejus prudentiam, præcepta, amorem veritatis, dictionem elegantem & limatam extollit: contra Rapius cum aliis stili asperitatem & obscuritatem, religionis curam modicam, intemperantiam in describenda Tiberii luxuria, demum nimiam in ferendis judiciis arrogantiam reprehendit.

Quinctus Curtius Rufus Alexandri M. vitæ describendæ decem librorum laborem impendit, ita ut non desint viri eruditi, qui Curtium inter Historicos dominantes eum locum, quem inter regnorum Domitores Alexandrum obtinuisse arbitrentur. Etsi in chronologia, geographia, & astronomia sæpius lapsus fuisse in comperto sit, dictio tamen ejus,

& latinitatis nitor communi plausu est recepta, dignaque Augusti ævo: *Mira est*, inquit Lipsius, *in sermone ejus facilitas, in narrationibus lepos, adstrictus idem ac profluens, subtilis & clarus, sine cura ulla accuratus, verus in judiciis, argutus in sententiis, in orationibus mirifice facundus.* Cajus Suetonius Tranquillus duodecim Imperatorum historia, quam texuit, & parte Tractatus, qui exstat de illustribus Grammaticis & Rhetoribus, magni Historici famam sibi comparavit. De hoc Possevinus in Apparatu suo testatur: *Antiquitatum Romanarum & Græcarum peritum admodum fuisse, ut nemo idonee magis de plerisque scripserit.* Et D. Hieronymus dum Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum conficere statuit, sibi Imperatorum vitas a Suetonio evulgatas in inscriptionis suæ ideam proposuisse se testatur. Hujus ipsius S. Doctoris judicio Suetonius de Imperatoribus ea libertate scripsit, qua ipsi dum viverent, usi sunt. Lucius Annæus Florus Romanæ historiæ synopsis quatuor libris conclusit, ducto a Romulo initio usque ad Augustum, qui orbe pacato Jani Templum clausit. Hæc peculiare quid habet, nimirum quod consuetis compendiorum vitiis careat: non enim est

jejuna, nec nimium pressa, neque tædium parit: stilo gaudet sublimem inter & humilem medio, eleganti, nitido, & mire grato: Poeticam tamen dictionem subinde sapit, quam e Senecarum familia, e qua oriundus erat Florus, traxisse videtur. Atque hi sunt præcipui Latinæ historiæ scriptores. Secuti sunt alii, ut Justinus, Ælius Spartianus, Julius Capitolinus &c. Multum tamen prioribus inferiores, & ab Augusti ævo ætate ac sermonis elegantia remoti.

§. II.

Historiæ felix Progressio.

X.

Videri quidem posset tum sacræ tum profanæ historices artem in priscis his heroibus supremum gloriæ apicem attigisse, nec plus ultra valuisse progredi. Et re ipsa, num qui duces istos secuti sunt, cum iis in comparisonem venire possint, & perfectius aliquid vel æque perfectum hoc in scriptionis genere elaborarint, haud facile dixerim. Illud tamen certum est, succedentibus temporibus Historicum regnum fines suos mirum quantum dilatasse, & dum prius intra unius alteriusve popu-

populi, regni, ac Imperii, vel paucorum præstantium virorum, ut ita dicam angustos limites se se continuit, postea totum qua late patet peragrassè orbem, nihilque intactum reliquissè. Quippe omnium Monarchiarum, regnorum ac principatuum initia, progressiones, ac vicissitudines: migrationes gentium ac populorum ex aliis regionibus in alias: Regum, Principum, & Illustrium Familiarum continuas successiones: antiqui, medii, ac novi ævi res gestas & monumenta magnitudine innumerabilia, varietate gratissima, modo legentibus offert, ac veluti spectanda præbet, ita ut suis cultoribus non ita longi temporis spatio, quod huic studio & Auctorum lectioni sedulo impendunt, ab orbe condito ad hæc usque secula rerum omnium notitiam largissimam subministret. Hæc autem omnia in medium producere, exemplisque commonstrare, infinitus labor foret, nec instituto meo conveniens. Fontes solum indicare animus est, e quibus amplissima hæc notitia hauriri queat. Atque ut ab illis initium ducam, qui de ipsa historices arte bene meriti sunt, ex Antiquis fuere Lucianus, & Dionysius Halicarnassæus: ille brevi libello, hic altero, quem inscripsit *Judicium de Thucydide*, condendæ historiæ rationem ac

normam proposuerunt. Tullius quoque ubi de Græcis & Latinis Historicis agit, suumque fert iudicium, præsertim in libris *de Orat. & Legibus*, præclara documenta & præcepta artis istius frequenter immiscet.

E vicinioribus ævo nostro sunt Jovianus Pontanus: hic Dialogum edidit, quem *Actium*, adpellat, in quo de Historicis iudicium fert, & velut aliud agendo ipse artis arcana pandit: Joannes Antonius Viperanus, quum suam de bello Melitensi historiam scriberet, librum quasi prodromum præmisit de dotibus veræ sinceræque historiæ, Antonio Perenoto Cardinali dicatum: Franciscus Patricius decem Dialogos admodum eruditos vulgavit, in quibus octo potissimum capita proponit eorum, quæ ad ad conscribendam historiam scitu & observatu necessaria esse iudicavit, videlicet principium, ordinem, finem historiæ; porro res, quæ vel silentio prætereundæ vel enarrandæ: tum quænam ex his obiter solum attingere oporteat, aut quibus diutius sit immorandum; denique qua ratione res gestæ sint recensendæ: Franciscus Balduinus aliam iniit viam, duosque libros reliquit, quos *Institutionum universæ historiæ* titulo insignivit, potissimum vero illius cum Juris-

risprudencia vinculum arctissimum demonstrat. At Gerardus Vossius fere primus fuit, qui ad omnem artis apicem negotium hoc expendit in libro de Arte historica, capitibus triginta duobus circumscripto. In hoc præmittit veluti Prolegomena historiæ: discrimen illius a reliquis artibus, finem & originem: tum definit eam, & in partes suas distribuit: postea ad præcepta & structuram universim progreditur: articulatim autem singulas ejusdem partes examinat, qua ratione confici debeant: præter hæc ordinem docet in enarratione observandum, simulque dotes elocutionis exponit: denique grave munus & officium Historici persequitur. Antonius Possevinus S. J. (t) qui per totam fere Europam ad Moscos usque commissas sibi a Pontificibus legationes obiit, eximius est tum in describenda optimæ historiæ indole, tum in præceptis tradendis, tum etiam in recensendis præstantibus artis hujus Auctoribus. Famianus Strada S. J. quo nescio an quisquam melius historices artificium & verbo & facto tradiderit; verbo quidem in Prolusionibus ut vocat Academicis, facto autem in historia, quam de bello Belgico scripsit, cum aurei seculi scriptis jure æquanda.

Rapi-

(t) *Tom. 2. Bibl. Select.*

Rapinus S. J. vir quam improbus in legendo, tam acer in iudicando, tum historiae virtutes ac vitia, tum singulorum scriptorum characteres admirabili acumine ingenii, ac sagacitate expendit, atque illustrat.

XI.

Nunc ad Ecclesiasticæ historiae incrementa animum & oculos convertamus. Hegesippus primus erat, eximus Apostolorum sectator, quem D. Hieronymus patria Judæum, & inter sanctos relatum perhibet, primus inquam erat, qui Ecclesiasticam historiam ab orbe condito per Mosen inchoatam, per Iudices autem, Prophetas & Evangelistas ad Christi mortem continuatam, ab eadem ad suam usque ætatem deduxit, relictis quinque libris, in quibus Traditiones Apostolicæ expressæ leguntur. Fragmenta horum quæ supersunt, Tomo secundo Script. Orient. collegit P. Halloix S. J. Vixit autem Hegesippus Aniceti Pontificis tempore, circa annum Chr. 151. quo regnante Romam se venisse ipsemet testatur. Eusebius Cæsarensis Episcopus, ob singularem cum Pamphilo Martyre amicitiam cognomen Pamphili sortitus, plurima scripto reliquit, maxime vero libros Evangelicæ
Præ-

Præparationis & Ecclesiasticæ historiæ, obiit anno 340. Ariana tamen hæresi infectum fuisse testatur Athanasius, Hieronymus, & Synodus VII. Act. 5. Socrates Scholasticus, & Hermias Sozomenus, secta Novatiani, scripserunt græco idiomate Historiam Ecclesiasticam a Constantino M. usque ad Theodosii junioris consulum XVIII. sive annum Chr. 439. Prior libris septem, alter novem eam complexus est. Theodoretus Cyri Episcopus initio quidem Nestorium in Ephesino Concilio damnatum defendit, sed exul errorem postea detestatus, & sedi suæ restitutus fuit. Hic quinque libros Ecclesiasticæ historiæ in lucem dedit circa annum Chr. 451. Marcus Aurelius Cassiodorus, Senator & Consul anno Chr. 514. variis scriptis inclutus ultra annum nonagesimum tertium vitam extraxit. Hic *Tripartitam Historiam* iis simul, quæ Socrates, Sozomenus & Theodoretus scripserunt, latine redditus concinnavit.

Evagrius Scholasticus Epiphaniensis composuit libros sex historiæ Ecclesiasticæ ab anno Chr. circiter 431. usque ad annum 597. exordio a fine Tripartitæ historiæ factæ. Anastasius Romanus Abbas & S. R. E. Bibliothecarius sub Nicolao I. Hadriano II. & Joanne VIII. floruit, scripsitque

que historiam Ecclesiasticam Tripartitam, ex Syncello, & Theophane Abbate magna parte translata. Nicephorus Callistus suam historiam Ecclesiasticam e supra memoratis contexit libris viginti tribus, a Christo nato ad annum 911. huic Possevinus addidit erudite nonnulla, quæ in Nicephoro tum circa fidei dogmata, tum veritatem historię correctione indigebant. Unum quod supererat exemplar perditis postremis quinque libris e Regia Matthiæ Corvini bibliotheca ereptum, & Constantinopoli euntum bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensi illatum est. Post hos, qui simplici sermone ac stilo minus polito, sed seculis illis usitato, Ecclesiæ acta factaque velut rudi adhuc penicillo adumbrarunt, insigne opus Historiæ Ecclesiasticæ molitus est Cæsar Cardinalis Baronius e Congregatione Oratorii, ut vocant, a Clemente VIII. Pont. Max. ad Patrum Purpuratorum Senatum evectus. Negotium hoc aliis demandatum quum non succederet, ipse tandem in eam scriptiorem a puero jam intentus, crebrisque illud sermonibus usurpans feliciter aggressus est, & feliciter confecit, duodecim omnino tomis tempus a Christo nato usque ad annum MCC. complexus: sincerum & grave, rerumque magnitudi-

ni par dicendi genus ubique emicat, & ab omni fuce alienum. Obiit an. 1607. Prosecutus est laborem, quem morte præventus Baronius ultra deducere non potuit, Abrahamus Bzovius ex Ord. Præd. post hunc eruditissimis aliquot Tomis Odoricus Raynaldus: Antonius vero Pagijs docta sua quatuor voluminum Critica ejusdem Baronii Annales non tam emendavit, quam illustravit. Prodierunt etiam Annales sacri duobus Tomis Auctore Augustino Torniello, qui ab orbe condito usque ad Christi natales, a quibus auspicatus est Baronius, Ecclesiæ Veteris historiam eruditione magna elucubravit. Plurimum quoque splendoris debet Historia Ecclesiastica scriptoribus ævi nostri, Ludovico Dumesnil S. J. de doctrina & disciplina Ecclesiæ, quam documentis authenticis e S. Scriptura, Conciliis & Patribus illustravit: Cornelio Hazart S. J. qui formam & faciem totius Ecclesiæ per omnes quatuor orbis partes diffusæ eleganter non minus, quam erudite descripsit: Alexandro Natali Ord. Præd. de historia Ecclesiastica Veteris & Novi Testamenti, Roncagliæ notis emendata, in qua vasti ingenii & multijugæ lectionis specimina exhibet: Bollando, Papebrochio, ac reliquis e Societate Jesu, Acta Sanctorum conscribentibus.

bentibus, quæ ut ita loquar, omnes sacræ ac Ecclesiasticæ eruditionis thesauros in se continent:

XII.

Jam profanæ etiam historiæ progressionēs in conspectum dare juvat. Quos paragrapho priorem antecedente recensui, Veteres tum Græci tum Latini historiæ Scriptores velut primi Navitæ circa litora hujus artis solícite cursum tenuerunt, & aliquarum duntaxat regionum, gentium, ac virorum illustrium monumenta literis consignarunt. Verum posterī animosiores facti, utraque columnas Herculis progressi alto se commiserunt, omnes quatuor mundi plagas, etiam remotissimas, & in his regna, provincias, civitates, maria, insulas, portus peragrarunt, & quidquid de herbis, de arboribus, de lapidibus, de avibus, piscibus, animalibus, de hominibus, de sacris & profanis ritibus, de re militari, civili, œconomica, de artibus & scientiis, verbo, de universa mundi hujus supellectile memoratu dignum occurrit, in sua commentaria, lucubrations, libros & volumina non sine maximo eruditionis proventu transtulerunt. Infinitus forem, si per singula ire, doctosque hominum istorum labores Lectorum

oculis exhibere vellem. Summa duntaxat capita persequi, & quosdam de historia universim spectata bene moritos scriptores, nonnullos Veteres, alios Recentiores heic recensere constitui. Dixi nuper, historiam dividi in eam, quæ temporum est seu Chronologicam; quæ locorum seu Geographicam, quæ Familiarum seu Genealogicam; & quæ actionum & rerum est, seu Historiam proprie dictam. *Ad primam classem* referri merentur: Eusebii Chronicon: Josephi Scaligeri opus de emendatione temporum: Genebrardi Chronologia: Dionysii Petavii S. J. doctrina & Rationarium Temporum: Jacobi Gaulterii S. J. integra chronologia rerum in orbe gestarum a Christo Nato: Philippi Labbe S. J. Chronologia sacro-profana: Joan. Dominici Musantii S. J. Fax Chronologica ab orbe condito ad nostra tempora. *Secundæ classis* sunt: Ptolomæi Alexandrini, veteris geographiæ Principis, opus Geographicum; Strabonis nobilissimum Geographiæ volumen: Abrahami Ortelii Thesaurus geographicus: Georgii Fournierii & Philippi Cluverii Introductio geographica: Joannis Baptistæ Riccioli S. J. Geographia libris duodecim eruditissimis constans: Henrici Niderdorf S. J. Generalis Geographia Cosmica, Mathematica, Naturalis & Politica. *Tertiæ clas-*

classis continet Albizii stemmata Principum : Rittershusii Tabulas Genealogicas ; Lazii Genealogiam Austriæ : Blondelli Genealogiam Franciæ : Bucellini Ord. S. Bened. Genealogiam Germaniæ : Hübneri Tabulas genealogicas universales. *Quartam classem* constituunt primo loco, qui res gestas universi orbis descripserunt : Diodorus Siculus, qui claruit anno salutis 40. bibliothecam scripsit universalis historiæ, maxime illustrium populorum ab ultima Ægyptiorum memoria usque ad Augustum Cæsarem, libris quadraginta locupletatam : Trogus Pompejus circa annum Ch. 14. edidit Epitomen quadraginta quatuor libris comprehensam, omnium fere populorum gesta breviter complectentem a Nino usque ad Cæsarem Augustum : V. Beda Anglus Chronicon reliquit ab orbe condito usque ad annum Ch. DCC. Hermannus Contractus, Monachus Augiæ Divitis, Chronicon ab ortu Adami usque ad annum 1052. Paulus Orosius ab initio mundi usque ad Honorium : Zonaras vastam historiam ab O. C. usque ad annum Chr. 1117. in tres partes divisam : Otho Leopoldi Marchionis Austriæ filius, Conradi III. Imp. ex matre Frater, Episcopus Frisingensis, Chronicorum libros septem ab O. C. ad

annum 1146. Hartmannus Schedelius, Professor Philosophiæ Norimbergensis circa annum 1493. Chronicon per sex mundi ætates distributum : Abbas Urspergensis Chronicon ab O. C. usque ad Fridericum II. Imp. Vincentius Bellovacensis Ord. Præd. ab O. C. usque ad annum Chr. 1201. Joannes Nauclerus Tubingensis Chronicon usque ad annum 1500. Gilbertus Genebrardus, Theologus Parisiensis, scripsit Chronographiæ libros quatuor, quorum priores duo continent res gestas per quatuor annorum milia ; posteriores reliquos annos completuntur usque ad annum Chr. 1599. Post hos novimus complures quidem, qui filum hoc historicum texendo profecuti sunt ad suum usque ævum, non tamen felici ut plurimum successu. Quam enim quorundam commentarii nec debito rerum delectu, nec emendationis chronologiæ rationibus instructi sint, vix utilitatis quidquam adferre possunt. Cæteris hoc in genere præstare videntur Epitome Horatii Tursellini Soc. Jesu. Animadversiones circa historiam universalem Jacobi Bossueti, Meldarum Episcopi : Chronicon Gordoni : Annales Philippi Brietii S. J. His adjungi merentur Opuscula, quæ tum ab eruditissimo Virò Anselmo Desingio Ord.

Ord. S. Bened. tum a Patribus Societatis Jesu in Germania ad usum & proven- tum historicum studiosæ potissimum ju- ventutis fuerunt vulgata, quæque historiam sacram & profanam per Veteris Testa- menti Acta, per quatuor Monarchias, per alia orbis Imperia & provincias, per Novi Testamenti Ecclesiastica monumen- ta, ubique epochis suis distincta, & illu- stribus exemplis insignita ab O. C. ad hæc usque tempora recto ordine ac faci- li methodo persequuntur; & quamvis ve- hementer ac importune ab heterodoxis, eorumque fautoribus impugnata fuerint, ju- re tamen civitatis, quo per triginta & am- plius annos donata erant, dejici hæcenus non potuerunt. Egregiam quoque operam hac in re navavit Ignatius Schvvarz Soc. Jesu editis Collegiis historicis in novem to- mulos divisis, quibus historiæ universa- lis, maxime vero Imperii Romano-Ger- manici, & Sacræ profanæque in eo po- testatis noticiam grandem subministrat. Secundum in quarta, quam dixi, classe locum obtinent scriptores illi, qui singu- laribus intenti vel quatuor orbis partium, Europæ, Asiæ, Africæ & Americæ, vel singularum regionum, regnorum, pro- vinciarum, ac populorum historicam de- scriptionem nobis obtulere. Nomina

duntaxat paucorum e longe pluribus, & quidem Recentiorum, quique latino sermone usi sunt, heic prodero sufficiat. *Europam* calamo suo illustrarunt: Joannes Henricus Alstedius, Petrus Bizarrus, Nicolaus Blancardius, Adamus Brahelius, Joan. Bapt. Drusianus, Ludovicus Guicciardinus, Matthæus Merianus, Paulus Antonius de Tharsia, Luitprandus Ticinensis, Henricus Zelius. *Asiam* Petrus Apianus, Hugo Allartus, Joannes de Barros, Nicolaus Blancardus, Jacobus Castaldus, Joan. Bapt. Egnatius, Joan. Bapt. Grammayeus, Henricus Hondius. *Africanam* Hugo Allastus, Leonardus Arctinus, Petrus Bellonius, Nicolaus Blancardus, Joan. Bapt. Grammayeus, Franciscus Petrarcha, Petrus Duvalius, Alphonsus Ulloa, Joannes Leo Granatensis, vulgo Africanus. *Americanam* Hieronymus Benzonius, Urbanus Calvetonus, Carolus Clusius, Robertus Comtæus, Ferdinandus de Oviedo, Balthasarus Lidius, Hieronymus de Ore, David Schramius, Nicolaus Vischerus, Caspar Varrerius.

XIII.

His adjungo Scriptores e Societate nostra, qui universi orbis partes, & in his diversa regna & regiones, resque in iis gestas

gestas tum sacras tum profanas erudito calamo descriptas seræ posteritati reliquerunt, eo majori fide digni, quo sanctior illorum finis erat, quo ad scribendum impulsæ fuerunt, quoque magis rerum veritatem ipsi vel oculis usurparunt, vel a fide dignis narrationibus exceperunt. Ad *Europam* quod adtinet, habemus Alexandri Donati Romam veterem & Novam, Andreæ Schotti res Romanas, Athanasii Kircheri vetus Latium, Joannis Bisselii Romanæ Reipublicæ ortum & interitum, Bartholomæi Rogati regnum Gothorum, Francisci Araniæ Lusitaniam, Jacobi Gordonii Lesmorei Britanniam, Edmundi Campiani Commentarium de Hibernia, Joannis Marianæ historiam de rebus Hispaniæ, Joannis Stephani Tarant Annales Franciæ, Nicolai Causini historiam Saxoniam, Angeli Gallucii Belgium, Andreæ Brunneri Annales Boicos, Joannis Nadasi Hungariam, Joannis Bisselii prius memorati Palæstinam, Antonii Possævini res Suecicas, Livonicas, Moscovicas, Transilvanicas, Petri d'Outreman Byzantinas. De *Asia* regnis & insulis memoratu digna prodiderunt: Alexander de Rhodes de regno Tunchinensi, de Cocinchina, de Japonia, de Persia: Adrianus Crucius & Aloysius Dulcebenius de rebus Sinensibus: Franci-

seus Colin de Insulis Philippinis : Franciscus de Royemont de historia Tartaro-Sinica : Joan. Bapt. Peruschi, & Theodorus Rhay de regno Mogorum : Joan. Philippus de Marinis de regno Tunchin, Ludovicus Guzman de India, Japonia & Sinis : Jacobus Bykius de magni Cataii *detectione* : Matthæus Riccius & Martinus Martini de Sinarum historia : Franciscus Baretus de Malabaria : Antonius de la Croix de Cocinchina : Nicolaus Trigaultius de Sinis & Japonia : Athanasius Kircherus de China, monumentis qua sacris qua profanis, nec non variis naturæ & artis spectaculis illustrata : Joannes Petrus Maffei (quem Strada dicit, *videri eum non tam bujus ævi, quam e veteri illo ordine, & quidem patricio historicorum fuisse*) de historia Indica sedecim libris exposita. *Africa* cognitatas nobis partes describere : Andreas Oviedo *Æthiopia*, Alphonsus Sandeval res *Æthiopicas*, Balthasarus Telliz Chronicon *Æthiopiæ*, Emmanuel de Vega statum Christianitatis in *Æthiopia* : Jacobus Simondus notitiam provinciarum & civitatum *Africa* tradidit : plures alii recentiores Monomotapæ & Abissinæ Imperiorum item Madagascaris, Congi, & Angolæ &c. *Americam* denique uti Columbus & Vesputius susceptis navigationibus, ita scri-

scriptis suis detexerunt: Josephus Acoſta de natura novi orbis: Andreas Perez de orbe Mexicano: Antonius Ruiz de Paraguaría: Bartholomæus Vimont de nova Francia: Franciſcus Creuxius & Hieronymus Lallemand de Canada: Josephus Anchieta de Braſilia. Longe plures reperire eſt in Bibliotheca ſcriptorum Societatis apud Nathanaelem Sotvillum, qui uſque ad ævum ſuum, ſeu annum 1675. Hiſtoricos e Societate omnis claffis numerat ac nominat ducentos triginta duos, ſcilicet Eccleſiaſticos 86. Profanos 146. præter Chronologicos, & trium orbis partium Aſiæ, Africæ, & Americæ 175. univerſim ſeptem ſupra quadringentos, id eſt, 407. Plures ſunt, qui horum veſtigiis inſtitere, & etiamnum inſiſtunt in omni rerum hiſtoricarum genere. Licet igitur nunc oculis velut coram intueri latiſſimos hiſtorici regni fines, latiſſimosque artis hujus progreſſus, dum vix ullus eſt tam abditus orbis terrarum & maris angulus, vix ullus adeo a ſole remotus populus, nulla regio, nulla civitas, nullum oppidum, quodque amplius eſt, vix animal quoddam, vix herba, ſos, arbor, metallum, & ſaxum pretioſum, de quibus omnibus & ſingulis non exſtet modo ſcriptorum aliquis, qui calamo ſuo velut pictor penicillo curioſe
inda

indagantium oculis universa hæc subjiciat. Insignem profecto laudem, ac pene immortalem meretur Opus Tomis duobus constans Alphonsi Lasorii a Varea, Patavii anno 1713. impressum, tamque pretiosum quam rarum, cui titulum Auctor præfixit: *Universus terrarum orbis scriptorum calamo delineatus*, in quo aliquot Scriptorum millia producit, qui uti præfert frons Operis „ de Europæ, Asiæ, „ Africæ & Americæ Regnis, Provinciis, „ Populis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, Insulis, Montibus, Fluminibus, „ Fodinis, Balneis, publicis hortis, & „ de aliis tam super quam subtus terram „ locis, de gentium quoque moribus, „ Religione, legibus, medendi usu, habitu, idiomate, & reliquis permultis ad „ dicta loca spectantibus quovis tempore, & qualibet lingua scripserunt, cum „ anno, loco, & forma editionis.



CAPUT III.
OECONOMIA HISTORIÆ.

§. I.

Definitio & Partitio illius.

XIV.

Magna est apud Auctores in explicando, quid rei sit historia, varietas, quæ tamen plus in verbis, quam in sensu versatur, utpote in quo omnes facile conveniunt. Quippe historia vox græca est ab *ἵσθαι*, quod videre ac spectare significat, indicatque res, licet non raro remotissimas a nobis & loco & tempore, ab historia veluti oculis videndas & coram spectandas præberi, ita ut quæ olim gesta fuerunt, quasi nunc in conspectu nostro gerantur. Finiunt itaque nonnulli historiam, quod sit expositio sive series rerum gestarum, qua ratione comprehendunt non solum historiam proprie dictam, verum etiam Annales, qui res enarrant observato cujusque anni ordine: & Ephemerides, quas Latini Diaria vocant, quibus singulorum dierum Acta inscri-

scribuntur. Cicero(u) historiam vocat *Testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitæ, munitiam vetustatis*. Fabius (x) *Expositionem prae-
vitorum*. Livius (y) *Custodiam fidelem rerum gestarum*. Isidorus (z) *Narrationem rei gestæ, per quam ea, quæ facta sunt, dignoscuntur*. Agellio (a) historia est quævis rerum gestarum narratio, ita ut ejus judicio historia & Annales ea ratione differant, qua secundum Philosophos genus & species. Cornelius Agrippa (b) contendit, illam esse rerum gestarum cum laude & vituperatione narrationem: Quippe magnarum rerum consilia, actiones, exitus, regumque ac grandium virorum acta cum temporum ac locorum ordine ac descriptione tanquam viva quædam pictura ante oculos ponit, ita quidem, ut allatis in medium exemplis cum optimi quique ob laudis nominisque immortalē gloriam ad præclara quæque facinora accendantur, tum impii ac pravi homines perpetuæ infamiae metu a vitiis deterreantur. Quidam denique historiam commode definiri posse credunt, si dicatur, quod sit *cognitio rerum, quarum*

(u) L. 2. de Orat. (x) L. 4. c. 2. (y) L. 6. Annal. (z) L. 1. de Orig. (a) L. 5. Neq. Attic. c. 18. (b) L. de verit. scient.

memoriam conservari utile est ad bene vestigandamque vivendum. Sunt autem res quædam universales, uti mundus, regna, animalia, plantæ: aliæ singulares, & hæ sunt vel a Deo & natura, ut solis deliquium, terræ motus, inundationes, prodigia, phænomena cœlestia: vel a voluntate humana, uti actiones, opera, structuræ, automata. De his omnibus tractat historia, quasi finium impatiens. Ita Mosen de Deo, de cælis, de Angelis &c. Aristotelem & Plinium de animalibus terras, aquas, & aerem habitantibus &c. Oppianum, & Ælianum præter alia de plantis, herbis & gemmis: Lydum teste Laurentio Philadelpho de cœlestibus aliisque prodigiis historias condidisse novimus. Unde D. Augustinus paucis multa dicit, dum ait (c): *historiam esse, cum sive divinitus, sive humanitus res gesta commemoratur.*

XV.

Jam vero ex hac ipsa, qua Historiæ naturam describunt Auctores, diversitate nascitur quoque multiplex illius partitio: Omnium maxime naturalis est, quæ a rebus, quæ historiæ subjacent, petitur: Ita vel *primo* tantum facta quædam me-

mo:

(*) *In lib. de Genes. c. 3.*



morabilia narrantur, a reliquo historiae corpore abscissa, qualis est historia Valerii Maximi, & Justi Lipsii in Politicis: vel *secundo* res gestae celebrantur eorum, qui vita functi sunt, & in posterorum memoria vivere merentur, exemplo Plutarchi, & Cornelii Nepotis: vel *tertio* Tragica produntur, admirabilem quemdam eventum post se trahentia, qualia videre est apud Sallustium, & Bisselium: vel *quarto* scribuntur Annales ad modum Taciti, Saliani, Torielli, Baronii: vel *quinto* conduntur epitomae seu synopses, cujusmodi sunt Flori, Tursellini, Joan. Bussieres: vel *sexto* ephemerides sive Diaria cum Julio Caesare, ac Gellio de pugna Nerviorum: vel *septimo* Regum ac Ducum acta justo volumine ad imitationem olim Livii, Curtii, Taciti, nunc Marianae, Massæi, Stradae, Wagneri: vel demum *octavo* fabulae historiarum more concinnantur, quemadmodum fecere Heliodorus in sua Aethiopia, Barclaius in Argenide, in Utopia Bidermannus. Aliae partitiones non tam naturae, quam artis ductum sequuntur. Harum communissima est, qua dividitur historia in φιλοσοφικὴν, quae universalium est, ut totius mundi Opificii, Monarchiarum, Ecclesiae Veteris & Novae,

omnium vel præcipuarum saltem gentium. Et quidem vel omne tempus complectitur, vel aliquam temporis portionem. Ejusmodi sunt historia Mosis, Eusebii, Theodoreti, Baronii, Alexandri Natalis: Polybii, Diodori Siculi, & Trogi Pompeji: Deinde in ἐξηγητικὴν, quæ versatur tum circa particularia, ut vocant, traditque quæ ad unius gentis aut civitatis res gestas pertinent, ut historia Livii de rebus Romanorum; vel partem duntaxat, ut Thucydides de bello Peloponnensi, Sallustius de Jugurthino & Catilinario, Cæsar de Gallico & Civili: tum circa singularia & commemorat e. g. facta Patriarcharum, iter populi Israelitici per desertum, vitas personarum illustrium, ut rursus historia Mosis in libris Genesis & Exodi, Suetonius, Cornelius Nepos, Nicus Erythræus: tum circa sejuncta, id est, excerpta e narratione quadam perpetua, nimirum facta & dicta memoratu digna: cujusmodi sunt memorabilia Valerii Maximi, Apophthegmata Plutarchi, stratagemata Frontini, Julii Hygini exempla: Denique in μικτήν, quæ de utrisque tractat, qualis est historia Mosis, Diodori Siculi, V. Beda &c. Aliis præsertim antiquioribus, historiam dividere placuit in *Divinam*, quæ de rebus ad Religionem pertinentibus agit, in

Naturalem, quæ ad scientiam & rerum naturalium cognitionem refertur, atque in *Humanam*, cujus est docere prudentiam, & virtutis studium, ac fugam vitiorum. Divinam Moses aliique sacri scriptores magnifice tractarunt: at Gentiles multis eam fabulis, & Deorum Deorumque figmentis involverunt: nihilominus fateri necesse est, bona etiam esse hæc involucra, utpote sub quibus plurimas veritates morales absconderunt. Naturalem excoluerunt potissimum Aristoteles, & Theophrastus, item Solstratus, Apollodorus, Drogus, & in vario rerum genere Plinius.

Humanam magno studio profecuti sunt Livius, Plutarchus, Xenophon, Cornel. Nepos, Nicyus Erythraeus, Bisselius. Porro hanc, seu humanam, Asclepiades apud Sextum Empiricum (d) distribuit in veram, sive eorum narrationem, quæ contigerunt; & in quasi veram, quæ non contingere quidem, tamen contingere potuerunt. His latior divisio est illa, quæ quatuor ejusdem species distinguit, videlicet vel agit de locis, ut Geographia, vel de temporibus, ut Chronologia, vel de generationibus, ut Genealogia, vel de gestis, ut Annales, cæteræque historia.

Hu-

(d) *Cap. 12.*

Hujus divisionis memini pluribus in Capite primo hujus libri, & in secundo scriptores cujuslibet classis adsignavi. Ultima demum partitionis ratio est, quæ non historiam, ut est narratio, sed ut ars est, nempe historicen tangit. Hæc duas partes continet, quarum prima tractat de fundamento historiæ, nimirum de veritate, altera de exædificatione seu structura, quæ tria comprehendit; rerum dicendarum naturam, dispositionem, & elocutionem. Nam probe prospiciendum est historico, quid scribat, quo ordine, quibusque verbis atque sententiis. Partitionem istam subministrat Tullius (e) his verbis, quæ heic loci integra referri merentur, quum fere omnes bonæ historiæ dotes simul explicent.

„ Quis nescit primam
 „ esse historiæ legem, ne quid falsi dicere
 „ audeat? Deinde ne quid veri non au-
 „ deat? Ne qua suspicio gratiæ sit in
 „ scribendo? Ne qua simultatis? Hæc
 „ scilicet fundamenta nota sunt omnibus.
 „ (en! primam partem) Ipsa autem ex-
 „ ædificatio (en! secundam) posita est
 „ in rebus & in verbis. Rerum ratio or-
 „ dinem temporum desiderat, regionum
 „ descriptionem; vult etiam, quoniam
 „ in

(e) *Lib. 2. de Orat.*

„ in rebus magnis memoriaque dignis, con-
 „ silia primum, deinde acta, postea even-
 „ tus expectantur, & de consiliis signifi-
 „ cari, quid scriptor probet, & in rebus
 „ gestis declarari, non solum quid actum
 „ sit, aut dictum, sed etiam quomodo:
 „ & cum de eventu dicatur, ut causæ
 „ explicentur omnes, vel casus, vel sa-
 „ pientiæ, vel temeritatis: hominumque
 „ ipsorum non solum res gestæ, sed etiam
 „ qui fama ac nomine excellent, de cu-
 „ jusque vita atque natura. Verborum
 „ autem ratio, & genus orationis fufum
 „ atque tractum, & cum lenitate qua-
 „ dam æquabili profluens sine hac judicia-
 „ li asperitate, & sine sententiarum foren-
 „ sium aculeis persequendum est. „

§. II.

Materia Historiæ.

XVI.

Ex his, quæ hucusque allata fuerunt,
 facile quis intelligit, amplissimam
 vastissimamque esse materiem Historiæ,
 eosque pene cum ipso, quem spectamus,
 mundo fines habere. Extendit enim se
 præter ea, quæ quotidie videmus & sen-
 timus, ad omnes actiones hominum, ad pa-

pacem, ad bellum, ad consilia, ad mores ac consuetudines, ad officia, ad legationes, ad negotiationes, ad varios casus, quicunque hac in vita possunt accidere. Nihilominus prima & præcipua historici cura versari debet circa deligendam operi, quod meditatur, materiem. Inprimis magna sit oportet, & digna, quæ ad posterorum memoriam transmittatur, dicente Tullio (f): *In rebus magnis memoriaque dignis historiam versari.* Præterea convenit examinare, num apta sit, ut accedente partium, eorumque quæ circumstant, dispositione, ac varietate rerum, & vicissitudine eventuum, quæ admirationem habent, amœna, grata, & curiosa reddatur. Sic explorata indole materiæ certus ordo narrandorum præstituendus, quo & quæ maxime vaga sunt, contrahantur, & quæ vel utilitati lectorum vel delectationi servire possunt, extendantur; quædam breviter & quasi aliud agendo referantur, alia cum studio & cura enucleate narrentur. Nimirum initio statim certi limites sunt ponendi, ne postea sine lege circumferatur historia. Tum designata & veluti jam præparata materia ad intimam illius, omniumque, quæ eam

comi-

(f) *Lib. 2. de Orat.*

comitantur, cognitionem profunda quadam meditatione descendendum erit, ut nihil scribentem fugiat, neve exorta improvise difficultas medium narrationis cursum sistat, quemadmodum non raro contingere solet sculptoribus indolem ligni, e quo Mercurius formandus est, non satis exploratam habentibus, ut extimam ligni superficiem scalpro dejicientes, dum altius rimantur, subito in nodum aliquem incidant cum maximo laboris dispendio. Cavendum tamen, ne superstitiose, cumque nimia anxietate singula, & minutissima quæque excutiantur. Nam ut recte Ammianus Marcellinus ait (g): *Historiam assuetam discurrere per negotiorum celsitudines, non bumilium minutias indagare causarum.* Maxima vero cura est adhibenda in scrutanda rei, quæ narrando adsumitur, veritate, ne dubia pro certis, aut conjecturæ proprii ingenii pro veritatibus vendantur. Hoc enim foret abuti fide publica. Hinc documenta quam optima sunt conquirenda, probe inspicienda, & religiose ponderanda, proculque amandandi sunt rumores civitatis aut nationis, quorum auctores plerumque sunt incerti; neque etiam facile præcedentium historicorum fidei se totum permittere debet

Scri-

(g) *In libris histor.*

Scriptor (præsertim si vel partium studio aut præjudicatis opinionibus eos obnoxios deprehendat) ne malos duces sequendo erret, eodemque torrente abripiatur. Certe Sallustius maria transgressus dicitur a Petrarcha, ut oculis suis crederet de conditionibus locorum: contra Herodotus ob documentorum seu inopiam seu neglectum fabularum arguitur a nonnullis, inter quos ipse Cicero, licet eum ob egregiam artem Historiæ Patrem adpellat: *Apud Herodotum, inquit, sunt innumerabiles fabulæ* (h). Media regiaque via incessisse videtur Curtius, dum nec asseruit tanquam certa, de quibus dubitabat, nec tamen penitus silentio præterit, aut falsa rejecit, quæ ab aliis fide bona accepit. Testatur hoc ipse, de historia sua loquens (i): *Equidem nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quæ accepi*. Sunt autem quatuor potissimum Historiæ plenæ ac integræ partes, quæ ad materiam, de qua dicere institui, pertinent, scilicet *Narratio gestorum, variæ rerum descriptiones, introductio concionum, seu oratiuncularum* ut nuncupant, & *encomiorum ac judiciorum expressio*. Has singulas ut pluribus

(h) *Lib. 10. c. 1.* (i) *L. 1. de Legibus.*

bus expendamus, operæ pretium esse videtur.

XVII.

Narratio.

Itaque narratio est rerum præteritarum & ordine, quo gestæ sunt, & serie non interrupta recitatio. Hæc plana esse debet, & simul exquisita, ita ut artificium aperta fronte non ostendat, sui tamen indicium aliquod fulgore quodam vibrante præbeat. Nihil magis obvium est in humana societate, quam quæ gesta sunt narrare: quotidie hoc experimur in fœminis, quibus os latius est, quam ingenium. Verum ad narrationem historicam numeris suis absolutam non vulgares virtutes concurrant necessum est: Magna prudentia, qua circumcisus ambagibus nihil dicitur, quod superfluat, sed paucis multa exponantur. Magna sane res, nosse quid loqui, quid tacere oporteat, nec diutius se detinere in locis, per quæ solummodo transeundum est. Hanc brevitatem Quintilianus vocat velocitatem, eamque mire dilaudat tum in Sallustio, tum in Livio: *Immortalem illam, inquit, Sallustii velocitatem consecutus est Livius: &, illa Sallustiana brevitatis, qua nihil apud aures*
erit.

eruditas perfectius esse potest, captanda. Præterea requiritur magna vis imaginandi, qua vivis coloribus res quælibet depingatur, & proprii cuius personæ actionique characteres tribuantur, quæve inspiretur calor quidam & ardor narrationi, ne langueat, sed perpetuo animetur. Livius ait memoratus Fabius, in narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris: ita dicuntur omnia tum rebus tum personis accommodata. Rursum opus est magna dexteritate ingenii, qua dissimuletur artificium, ubi maxime viget, ut quod ab arte proficiscitur, in naturam transeat, dum grandes expressiones, figuræ, ac cogitationum ornamenta effunduntur iis in locis, qui capaces sunt, absque quod palam digito monstrentur, & velut hedera præfigatur vino vendibili. Demum desideratur magnum iudicium, quo exponantur res nunc integræ, nunc divisæ, modo extensæ, modo restrictæ, quemadmodum illarum natura exigit; quove decorum a non decoro distinguatur, & adflectur gratia, quæ mirabile faciat, quod commune fuerat. nimirum *dare oportet orationi varios vultus: gaudent enim res varietate,* ut loquitur Quinctilianus (k).
Præ-

(k) *Lib. 9. c. 2.*

Præter hæc multum momenti positum est in ordine narrandi, ut suo res quævis loco & tempore reponatur. Horum nisi ratio diligens habeatur, confusa erit narratio, & nonnisi obscura sui vestigia in mente lectoris relinquet. Hunc ordinem præscribit Cicero (1) dum ait: *In rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus expectantur,* ac si diceret: in actionis vel rei cujusdam enarratione primo explicandum est, quo consilio, quo fine, quibus artibus, quæve industria præcedente negotium fuerit susceptum: tum describi debet ipsum factum, qua ratione, quo conatu, ardore aut remissione animi gestum sit: denique colligere oportet ea, quæ seu funesta, seu prospere inde consecuta sint. Huic tamen ordini maxime naturali haud officit, si artificii nonnihil se immisceat, & quandoque illa, quæ jam præterita fuerunt, veluti præsentia narrentur, ac si nunc contingerent. Res enim hæc mire lectoris mentem excitat, attentam reddit, ac commovet. Neque etiam turbat ordinem variatio casuum, si tristitia lætis, & læta tristibus succedant: variantur enim simul affectus in legente, & grata quædam eorum perturbatio oritur: neque etiam, si

gran-

(1) *Lib. 2. de Orat.*

grandibus minoris momenti aliqua inter-
 lerantur. Nam sic intervalla respirandi re-
 linquuntur Lectori, qui perpetua magno-
 rum & mirabilium eventuum serie tandem
 fatigatur. Narrationum breviora quædam
 paradigmata, quoniam his major docendi
 vis inest, quam longioribus præceptis, in
 medium adduco, unum ex Historico pro-
 fano & veteri, alterum e Recentiore ac
 sacro, scilicet ex Livio, & Maffeo. Ille
 (m) raptum Sabinarum ita recenset:
 „ Jam Sabinarum omnis multitudo cum
 „ liberis & conjugibus venit. Invitati
 „ hospitaliter per domos, cum situm mœ-
 „ niæque & frequentem tectis urbem vi-
 „ dissent, mirantur tam brevi rem Roma-
 „ nam crevisse. Ubi spectaculi tempus
 „ venit (instituit enim Romulus data ope-
 „ ra ludos solemnes Neptuno Equestri,
 „ ac finitimas gentes ad eos invitavit)
 „ deditæque eo mentes cum oculis erant,
 „ tum ex composito orta vis: signoque
 „ dato juvenus Romana ad rapiendas
 „ virgines discurrit. Magna pars, forte
 „ ut in quem quæque incidere, raptæ:
 „ quasdam forma excellentes primoribus
 „ Patrum destinatas ex plebe homines,
 „ quibus datum negotium erat, domos
 „ deferebant. Unam longe ante alias
 „ spe-

(m) *Decad. I. Lib. I.*

„ specie ac pulchritudine insignem a glo-
 „ bo Talassii cujusdam raptam ferunt:
 „ multisque sciscitantibus, cuinam fer-
 „ rent, identidem, ne quis violaret,
 „ Talassio ferri clamitatum: inde nuptia-
 „ lem hanc vocem factam. Turbato per
 „ metum ludicro mæsti parentes virginum
 „ profugiunt, incusantes violati hospitii
 „ fœdas, deumque invocantes, cujus
 „ ad solenne ludosque per fas ac fidem
 „ decepti venissent. Nec raptis aut spes
 „ de se melior, aut indignatio est minor.
 „ Sed ipse Romulus circuibat, docebat-
 „ que, patrum id superbia factum, qui
 „ connubium finitimis negassent: illas ta-
 „ men in matrimonio, in societate for-
 „ tunarum omnium, civitatisque, &
 „ quo nihil charius humano generi sit,
 „ liberorum fore: mollirent modo iras,
 „ & quibus fors corpora dedisset, da-
 „ rent animos: sæpe ex injuria postmo-
 „ dum gratiam ortam, eoque melioribus
 „ usuras viris, quod annexurus pro se
 „ quisque sit, ut cum sua vice functus
 „ officio sit, parentum etiam patriæque
 „ expleat desiderium. Accedebant blan-
 „ ditæ virorum factum excusantium cupi-
 „ ditate atque amore, quæ maxime ad
 „ muliebrem ingenium efficaces preces
 „ sunt. Jam admodum mitigati animi

„ raptis erant &c. „ Sanctius argumen-
 tum nactus Maffeius insigne factum D. Ig-
 natii sic commemorat (v): „ Ignatius Pa-
 „ risiis amicum a turpi cujusdam foemi-
 „ næ consuetudine frustra sæpe revocare
 „ conatus, cujus ille flagitii caussa vicum
 „ subinde petebat, non longe ab urbe
 „ positum, denique egressus hominis &
 „ itinera dissimulanter explorans, deter-
 „ rendi ejus consilium tale commentus est.
 „ Stagnum erat propter viam, qua trans-
 „ eundum illi erat de more: eo mature
 „ prævertens Ignatius tempestate perfri-
 „ gida se se nudus aquis collo tenus im-
 „ merisit, ibique salutare amico tetendit
 „ insidias. Nam ut appropinquantem
 „ aspexit, Deum precatus, ut ea res
 „ utrique feliciter eveniret, horribili re-
 „ pente in adversum intonuit voce: Quo,
 „ quo miserrime properas? non intelli-
 „ gis, in quanto versere periculo? nonne
 „ intentum in te divinæ justitiæ gladium
 „ vides? Perge porro, perge nefariam
 „ istam explere malitiam. Ego me hic
 „ tamdiu tua caussa macerabo, quoad
 „ cælestes iras meo malo avertam abs te
 „ At ille subita voce perculsus, atque ad
 „ Ignatii aspectum veluti deprehensus,
 „ obstupuit: demiratusque charitatem
 „ viri,

(u) *In ejus vita lib. 3.*

„ viri, nec dubio pudore concepto, re-
 „ tulit pedem, & in posterum Deo adju-
 „ vante se se ab illa pestifera familiaritate
 „ continuit. „

XVIII.

Descriptiones.

Multiplex est genus descriptionum:
 ○ quædam est *Typographica* & *Chorographi-*
ca, seu loci & regionis, ad quam perti-
 nent soli bonitas, pratorum sylvarumque
 amcenitas: urbium pulchritudo & magni-
 ficentia, maris adjacentis aut fluvii præ-
 terlabentis late patens prospectus, aeris
 temperies, florum, plantarum, avium,
 pecorum copia: aut versa vice asperitas
 soli, aeris inclementia &c. item mores
 populi, vestitus, religio, ritus sacri &
 profani, gentis conditores. Quædam est
Poliographica, seu urbium, cujus est, lo-
 cum, litum, moenia, propugnacula, ædi-
 ficiorum & templorum elegantiam, ac
 majestatem, monumenta vetera, pontes,
 turres, incolarum frequentiam, divitias,
 commercia, leges, magistratus, mores
 exhibere. Quædam *Maebographica*, seu
 præliorum & conflictuum. Hæc exponit,
 bellicas expeditiones terra marique susce-
 ptas, castrorum metationem, delectum
 mili-

militum, armorum apparatus, equitum peditumque turmas, auxiliares copias, conflictum, obsidionem urbis, fugam, victoriam, spolia, vota Diis exsoluta. Alia *Pathographica*, seu affectuum; ubi exprimuntur timor, audacia, fortitudo, dolor, miseratio, funera, cædes nocentum & innocentum, hominum illustrium fata in utraque fortuna. Verum quo amplior se offert descriptionum campus, eo majori opus est circumspectione, præsertim juveni historico, ne sine consilio ac passim in eas se effundat, illisque nimium occupetur. Satietaem enim pariant, si plus quam par est frequentes sint, & robur pessumdant principalis actionis, quæ narranda suscipitur, non secus ac si grandi ædificio larga nimis manu ornamenta omnis generis adhibeantur. Quapropter monent artis periti, descriptionibus locum non esse dandum, nisi quando res exigunt, ut velut sensibus percipiantur, eæ scilicet, quarum cognitio ad principem historiæ scopum non solum utilis, sed & necessaria est. Ita bene describitur locus, ad quem pugna initur, quemadmodum Livius (o) regionis illius situm & indolem depinxit, ubi Hannibal Minutium occupavit. Quodsi vastam & copiosam historiam

(o) *Lib. 22.*

riam scribere contingat, paullo plus indulgere licebit ad recreandum & quasi longo in itinere refocillandum Lectorem, loco tamen conveniente, omnique adfectione remota. Quare descriptiones illæ laudem ferunt, quæ sunt vel necessariae vel succinctæ, elegantes, nec quæsitæ. Illud autem cavendum maxime, ne describendis minusculis quibusve rebus inhæreat historicus, ubi plerumque accidit, ut dein majora, magisque memoratu digna prætermittantur, uti Lucianus (p) observat dicens: *sunt quidam, qui rerum gestarum res maximas, & memoria dignissimas prætermittunt res minimas admodum prolixè & laboriosè immorando persequuntur, non aliter ac si quis Jovis Olympici, pulchritudinem universam, quæ tanta ac talis est, videat, nec laudet, neque etiam iis, qui eam nesciunt, quidquam narret: sed subsellii reclinatitudinem & expolitionem, & crepidæ concinnitatem admiretur, & hæc plane magno studio exponat.* Morem potius splendidi convivii imitari debent descriptiones, in quo inter exquisita fercula non solent adponi ad mensam communia, & humilia. Descriptionum quædam exempla rursum adfero e prisco & nostro ævo. Tyrum ab Alexandro M.

ob-

(p) *Lib. de scrib. hist.*

obfessam ita describit Curtius (q): „ Ur-
 „ bem a continenti quatuor stadiorum
 „ fretum dividit Africo maxime objectum,
 „ crebros ex alto fluctus in litus evol-
 „ vens, nec accipiendo operi, quo Ma-
 „ cedones continenti jungere parabant,
 „ quidquam magis quam ille ventus ob-
 „ stabat. Quippe vix leni & tranquillo
 „ mari moles agi possunt. Africanus vero
 „ prima quæque congesta pulsu illisa mari
 „ subruit, nec ulla tam firma moles est,
 „ quam non excidant undæ per nexus
 „ operum manantes, ubi acrior flatus ex-
 „ stitit, summi operis fastigio superfusæ. „
 Urbis situ in conspectu dato describit Cur-
 tius Machinam bellicam (seu navem, quam
 nos incendiariam vocamus) his verbis:
 „ Inter hæc Tyrii navem magnitudine
 „ eximia, saxis harenaque a puppi one-
 „ ratam, ita ut multum prora emineret,
 „ bitumine ac sulphure illitam remis con-
 „ citaverunt, & cum magnam vim venti
 „ vela quoque concepissent, celeriter ad
 „ molem (fabricatam a Macedonibus)
 „ successit. Tunc prora ejus accensa re-
 „ miges desiliere in scaphas, quæ ad hoc
 „ ipsum præparatæ sequebantur. Navis
 „ autem igne concepto latius fundere in-
 „ cendium cæpit, quod priusquam pos-

(q) *Lib. 4.*

„ set

„ set occurri, turres & cætera opera in
 „ capite molis posita comprehendit. At
 „ qui desilierant in parva navigia, faces
 „ & quidquid alendo igni aptum erat, in
 „ eadem opera ingerunt. Jamque non
 „ modo Macedonum turres, sed etiam
 „ summa tabulata conceperant ignem,
 „ cum ii qui in turribus erant, partim hau-
 „ rirentur incendio, partim armis omissis
 „ in mare semet ipsi imitterent. At Tyrii,
 „ qui capere eos, quam interficere mal-
 „ lent, natantium manus stipitibus saxis-
 „ que lacerabant, donec debilitati impune
 „ navigiis excipi possent; nec incendio
 „ solum opera consumpta, sed forte eo-
 „ dem die vehementior ventus totum ex
 „ profundo maris illisit in molem, cre-
 „ brisque fluctibus compages operis ver-
 „ beratæ laxavere, saxaque interfluens
 „ unda medium opus rupit. Proratis
 „ igitur lapidum cumulis, quibus injecta
 „ terra sustinebatur, præceps in profun-
 „ dum ruit, tantæque molis vix ulla
 „ vestigia inventa. „ Post plures ambages
 „ demum expugnationem Tyri ita nar-
 „ rat Curtius: „ Biduo deinde ad quietem
 „ dato militibus, jussisque & classem &
 „ machinas pariter admovere, ut utrin-
 „ que territis instaret Alexander, ipse in
 „ altissimam turrin ascendit ingenti ani-

„ mo, periculo majore; quippe regio in-
 „ signi, & armis fulgentibus conspicuus
 „ unus præcipue telis petebatur, & digna
 „ prorsus spectaculo edidit: multos e mu-
 „ ris propugnatores hasta transfixit, quos-
 „ dam etiam comminus gladio clypeo-
 „ que impulsos præcipitavit. Quippe
 „ turris, ex qua dimicabat, muris ho-
 „ stium propemodum cohærebat. Itaque
 „ crebris arietibus saxorum compage la-
 „ xata munimenta defecerant, & classis
 „ intraverat portum, & quidam Mace-
 „ donum in turres hostium desertas eva-
 „ serant; cum Tyrîi tot simul malis victi
 „ alii supplices in templa confugiunt, alii
 „ foribus ædium obseratis occupant libe-
 „ rum mortis arbitrium, nonnulli ruunt
 „ in hostem non inulte perituri. Magna
 „ pars summa tectorum obtinebat, saxa
 „ & quidquid manibus sors dederat, in-
 „ gerentes subeuntibus. Alexander ex-
 „ ceptis, qui in Templa confugerunt,
 „ omnes interfici, ignemque tectis injici
 „ jubet. His per præcones pronuntiatis
 „ nemo tamen armatus opem a Diis pete-
 „ re sustinuit. Pueri virginesque templa
 „ compleverant, viri in vestibulo suarum
 „ quisque ædium stabant, parata sævien-
 „ tibus turba. Multis tamen saluti fuere
 „ Sidonii &c. „ Hucusque Curtius. At

Wagnerus in Historia Leopoldi M. (r) victoriam, qua post liberatam Viennam nulla clarior fuit, de Turcis relatam ad Baronivariam hac ratione recenset: „ Duo-
 „ decima Augusti dies (anno 1687.) au-
 „ spicata Leopoldo Cæsari, universo Chri-
 „ stiano nomini felix illuxit. Siclosium
 „ iter erat edictum, speculatoribus per
 „ viam tuta omnia renunciantibus. Sub
 „ primam auroram exercitus in duo divi-
 „ sus agmina, eques pediti immistus, me-
 „ dia acies e X. cohortibus composita
 „ Harsano moverat. Regio omnis scabra,
 „ inæqualis, ac hostem versus crebris per
 „ intervalla sylvulis distincta. Collis
 „ præcipue densis arbutis horridus, isque
 „ medio arctas in fauces diductus erat
 „ pertranseundus, multo fabrum in ex-
 „ scindendis viis, & operarum labore....
 „ Ducibus inter se disputantibus Kiusi Bas-
 „ sæ agmen instare ferocius, ingens bar-
 „ barorum multitudo, quo posterior no-
 „ strum agmen vixdum decesserat, tu-
 „ mulo conspici, vexillis tantum eminenti-
 „ bus, & summis capitum insignibus,
 „ ne tormentis possent peti. Mox uni-
 „ versus hostium exercitus, duabus e syl-
 „ va viis in conspectum emeris oppositis
 „ machinis detonat ex edito.... Tertia ab
 „ me-

„ meridie hora perstreptibus toto cam-
 „ po buccinis acies universa moyit, ca-
 „ strensibus machinis præter morem ante
 „ peditatum, turmis ante cohortes loca-
 „ tis Dux uterque in fronte aciei conspi-
 „ cuus. Elector quidem Bavarus cum
 „ Badensi Marchione & Serenio Marescal-
 „ lis : Lotharingius cum Caprara ac Sou-
 „ chio. Tardior fuit progressio ob ve-
 „ preta passim obstantia. Multis viarum
 „ difficultatibus superatis ad hostem pro-
 „ pe Baronivariam in acie stantem per-
 „ ventum est. Illi ab fronte perangustus
 „ campus erat, haud ultra quartam leucæ
 „ partem, utrinque sylva inclusus, mo-
 „ dicoque ante tumulo assurgens: acies
 „ acutum in angulum introrsum disce-
 „ dens. Post tumulum decem, ut oculis
 „ æstimari poterant, Janitsarorum millia;
 „ ab horum tergis equitatus: vallum de-
 „ nique profunda fossa, alta lorica, plu-
 „ rimisque tormentis validum, sed per
 „ temporis angustias patens alibi ac pe-
 „ netrabile. Hoc ordine, hoc situ exer-
 „ citus uterque constitit. Colubrinis pri-
 „ mo certatum utrinque, levi partium
 „ damno. Tum intra centesimum ab
 „ vallo passum succedens Germanus im-
 „ motos præter morem, silentesque mi-
 „ ratur Janitsaros. Et obfirmarant ani-

„ mum, prima pilarum jacula perferre,
 „ quo propinquiores ictibus certioribus
 „ ex edito ferirent. Pessime cessit ars.
 „ Quippe ut hærentes vallis inimicos,
 „ horridoque silentio minaces conspexere,
 „ cæcus pavor occupat animos, caligo
 „ oculis offunditur, toto corpore
 „ palpitantes incertis vagisque, & inde
 „ innoxii ictibus sclopos solvunt. Re
 „ animadversa animosior instare Germanus,
 „ nec timide in valli hiantis rimas
 „ se infundere. Ut vix cœpta pugna
 „ jam fluctuare signa, stringi alibi aut
 „ duci multitudinem confusam animad-
 „ verteret Lotharingus, propiores co-
 „ hortatus allocutus: *Irent, ait, fidenter-*
 „ *que se immitterent in fossam: suis timo-*
 „ *ribus jam victos barbaros; viam intra*
 „ *vallum ad victoriam spoliisque panderent,*
 „ *quanta possent edita strage, terrore vi-*
 „ *ctos amulatione comilitones incenderent.*
 „ Et vero suis alioquin & Ducum ignibus
 „ æstuans miles sepimenta gladiis, mani-
 „ bus, corporum connisu revellit: supe-
 „ rata momento lorica machinas in ad-
 „ versos convertit; cædem in primores,
 „ metum in postremos infert, impedi-
 „ tibus se mutuo barbaris, atque ex an-
 „ gusto illo circo fugam nec quidquam
 „ circumspiciantibus. Spahii volitantia
 „ intra

„ intra vallum Christianorum signa, fra-
„ ctum jam solutumque Janitsarorum ro-
„ bur, cædemque ad se propinquare con-
„ spicati, ne glande quidem emissa, ab-
„ jectis quæ morari possent armis effusam
„ fugam incunt. Nemo ducum aut mili-
„ tum quidquam pro duce facit, aut mi-
„ lite. Lotharingus in Hurspergiana le-
„ gionis fronte manu depugnans, primos
„ inter vallum transcendit. Eodem fere
„ tempore Elector item Bavarus sinistro
„ in cornu prorutis munimentis ac repa-
„ gulis, & cum sua Dimacharum legione
„ Eugenius Sabaudus irrupere. Lotha-
„ ringus intentissima cura agit, ne calentes
„ victoria animi præpropere ab ordinibus
„ ad spolia dilaberentur. Id negotium
„ dat Capraræ: Tribuni ad Centuriones
„ eadem mandata per celeres perferre
„ jussi. Idque sane quam opportune,
„ cum Bavarici amplius progressi jam ma-
„ chinis hostium & opimis spoliis potiti
„ cernerentur. Igitur instaurata pugna
„ fit magna strages, & perierat interne-
„ cione Janitsarorum peditatus, ni pro-
„ pinqua nox, saltus, arundineta non-
„ nullos texissent, qui diligenti vestiga-
„ tione perquisiti in glandes se peditum
„ equitumque induere, ut non arena so-
„ lum, sed saltus vicini ac paludes cada-

„ veribus horrerent. Commercius me-
 „ morabile factum edidisse traditur. Diu
 „ cum signifero Turca colluctatus, etsi
 „ vexilli cuspide ictus ac sanguine dif-
 „ fluens, non ante abstinit, quam inimici
 „ brachio, capiteque defecto, victoris
 „ pariter & victi cruore depictum Lotha-
 „ ringo offerret. . . . Jam tenebræ ra-
 „ puerunt diem, cum receptui canitur,
 „ Hussari duntaxat, & levioris armaturæ
 „ equitibus in fugientes emissis. Nox
 „ Turcicis in castris, qua victores solent,
 „ gaudiorum exuberantia peracta est,
 „ Dacibus alter in alterum gloriæ & vi-
 „ ctoriæ partes pulchro certamine confe-
 „ rentibus. Vezirius gloriari nuper au-
 „ ditus, se Christianos ut anhelorum ca-
 „ num gregem ante se abacturum, ho-
 „ rum scilicet canum morsibus misere la-
 „ niatus, & castris exutus eadem se nocte
 „ Effekium ejecit, desideratis suorum vi-
 „ ginti millibus, relictisque quinque mil-
 „ lionum spoliis. „

XIX.

Conciones.

Conciones sunt adlocutiones, quarum
 auctor quidem plerumque est Historicus
 ipse, alieno tamen, scilicet actoris, ore
 in

in narrationis decursu utitur, ad animi sui sensa depromenda. Vocantur etiam Oratiunculæ, adhibenturque nunc *directæ*, ut: *Ite bonis avibus, & palmas, quas fortuna vobis propitia sponte offert, manibus vestris decerpite.* Nunc *indirectæ*, ut: *agerent, uti fortes vivos deceret, nec a majorum moribus ac præclara virtute degenerarent.* Quædam earum sunt, partitione apud Oratores usitata, in genere judiciali, pauciores in exornativo, pleræque in deliberativo. Sed quod ad usum ejusmodi Concionum adtinet, Criticorum opinio diversa est: aliqui laudant, reprobant alii. Briscolus (s): *In sermonibus effingendis, inquit, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Sallustius nimii videntur: ea causa est, cur Cæsar commentarios scripsit, ut id omitteret, in quo alii laborant.* Non minus Scaliger ait (t): *Livius, Thucydides interserunt conciones, quæ nunquam ab iis, quibus sunt attributæ, cognitæ fuerunt.* Quippe censent isti, non modicam vim inferri per hæc conciones veritati, quæ tamen fundamentum est historiæ quoniam in iis Auctor ea profert, quæ ipse sibi imaginatur, & de quibus Actor

sæpe

(s) *Lib. 7. hor. subseciv.*

(t) *Lib. 1. Poet.*

sæpe ne quidem somniavit: primum esse hac ratione fingere causas moventes, consilia, adjumenta, occasiones, circumstantias rerum gestarum, quæ nusquam exstiterunt, & a veris causis atque consiliis &c. plurimum abluunt, ita ut si Actores ad vitam redirent, legerentque hujusmodi historias de se scriptas, vel simplicitatem Auctoris riderent, vel malam fidem damnarent, quandoque etiam mirarentur ingenium, sed veritatem desiderarent. Atque hoc fuisse ajunt Cæsaris consilium, cur a concionibus in suis Commentariis abstineret, veritatis plus quam culturæ studiosus. Verum qui sic ratiocinantur universim de hoc negotio, contra torrentem nituntur, multumque splendoris ac gratiæ ex historia subtrahunt. Certe præstantissimi quique historici tam veteres, quam recentiores ejusmodi concionibus sunt usi magna cum oblectatione simul ac utilitate. Delectat enim lectorem vel maxime, si rerum gestarum longa series grata quadam & prudenti velut interlocutione temperetur, causæ atque artes latentes in lucem protrahantur, & non absque consilio actum fuisse ostendatur, quod re ipsa factum est. Præterea Conciones istæ prudentiam in rebus agendis instillant, dum docent de rebus magni momenti rite consul-

sultare, ponderare rationes in utramque partem occurrentes, animosque addere aliis ad fortiter exequendum, quod sapienter decretum est, monstrantque non esse illico fidendum prima fronte speciosis argumentis, sed indagandum, an non fortioribus eorum robur infringatur. Profecto pulcherrima est apud Livium (u) concio Legatorum, quos Romulus misit ad persuadendam finitimis populis societatem: Marii apud Sallustium, & apud Tacitum (x) Tiberii ad Senatum, ut luxui Romanorum fines statuerentur. Quis sine tacito animi sensu in Quinto Curtio legit Darii orationem in pugna ad Arbelum (y) satis longam, sed valde scitam, & studiose elaboratam? Legati Regis Scytharum (z) elegantem ac politam pro nationis genio? Philotæ accusati de conjuratione adversus Alexandrum (a) magna tranquillitate animi factam, & ad motus excitandos aptissimam? quin quod in ipsius Cæsaris, cujus auctoritas in contrariam partem adducta est, ipsius inquam Cæsaris historia (b) concionem Curionis, quæ milites ad oppugnandum Varum circa Uticam animavit, prorsus eximiam reperire

- (u) *Sub init. hist.* (x) *Lib. 4.* (y) *Lib. 3. Annal.* (z) *Lib. 7.* (a) *Lib. 6. ad finem.*
 (b) *De bello Civil. l. 2.*

rire sit. Nemo tamen hac in re admirabilior Tito Livio, qui orationes, quas frequenter in utramque partem immiscuit, adeo artificiose construxit, ut si primam legas, ab ea persuasum te credas; si vero alteram, abjecta priori mente huic consentias atque subscribas. Interea tamen negari haud potest; opus esse moderatione, scilicet ut breves sint, nec admodum frequentes, ut magno cum judicio, & quidem suo loco ponantur, ut character, qui Actoris personæ convenit, ubique eluceat, ut sententiis gravibus & fulgurantibus referta sit. Ne lectorem sine exemplis relinquam, heic quoque aliqua adducam. Primum e Livio (c), ubi Veturiam apud Coriolanum Filium suum, qui ad expugnandam Romam cum exercitu venerat, deprecantem exhibet. Quippe Cn. Martio Coriolano in exilium pulso, & cum Volscis ad injuriam vindicandam redeunte, rejectisque Legatorum a Sacerdotum precibus Romæ exitium minitante, „ Tum, „ inquit Livius, Matronæ ad Veturiam „ Matrem Coriolani, Volumniamque uxorem frequentes coeunt. Id publicum „ consilium, an muliebris timor fuerit, „ parum invenio. Pervicere certe, ut „ & Veturia magno natu mulier, & Volu- „ „ mnia-

(c) *Decad. I. l. 2.*

omnia duos parvos ex Martio filios secum
ducens in castra hostium irent, & quam
armis Viri defendere urbem non pos-
sent, mulieres precibus lacrymisque
defenderent. Ubi ad castra ventum
est, nunciatumque Coriolano, adesse
ingens mulierum agmen: primo, ut
qui nec publica majestate in legatis,
nec in sacerdotibus tanta offusa oculis
animoque religione motus esset, multo
obstinatior adversus lacrymas mulie-
bres erat. Dein familiarium quidam,
qui insignem mœstitia inter cæteras co-
gnoverat Veturiam, inter Nurus Ne-
potesque stantem: nisi me frustrantur,
inquit, oculi, Mater tibi conjuxque
& liberi adsunt. Coriolanus prope ut
amens consternatus, ab sede sua cum
ferret Matri obviæ amplexum, mulier
in iram ex precibus versa: Sine prius
quam complexum accipio, sciam in-
quit, ad hostem an ad filium venerim:
captiva, materne, in castris sim. In
hoc me longa vita & infelix senectâ tra-
xit, ut exulem te, deinde hostem vi-
derem; potuisti populari hanc terram,
quæ te genuit atque aluit? non tibi,
quamvis infesto animo & minaci per-
veneras, ingredienti fines ira cecidit?
non cum in conspectu Roma fuit, suc-
cur-

„ currit, intra illa moenia domus & pe-
 „ nates mei sunt? Mater, Conjux, libe-
 „ rique? Ergo ego nisi perperissem, Ro-
 „ ma non oppugnaretur? sed ego nihil
 „ jam pati nec tibi turpius, quam mihi
 „ miserius possum: necut sim miserrima,
 „ diu futura sum: de his (monstrans Ne-
 „ potes) videris, quos si pergis, aut im-
 „ matura mors, aut longa servitus ma-
 „ net. Uxor deinde ac liberi amplexi,
 „ fletusque ab omni turba mulierum or-
 „ tus, & comploratio sui patriæque fre-
 „ gere tandem Virum. Complexus inde
 „ suos dimittit, ipse retro ab urbe castra
 „ movit, abductis deinde legionibus ex
 „ agro Romano... Non inviderunt laudes
 „ suas mulieribus Viri Romani: adeo sine
 „ obrectatione gloriæ alienæ vivebatur.
 „ Monumento quoque quod esset, tem-
 „ plum Fortunæ muliebri ædificatum de-
 „ dicatumque est. „ Observare heic licet
 in oratione Veturiæ muliebres artes:
 primum lacrymis calentibus blanditur,
 postmodum matris ula potestate graviter
 increpat, & vix non imperat, demum
 secutura e turpi factæ calamitate ante oculo-
 posita ferocem filii animum frangit.
 Alterum exemplum esto, quod Famianus
 Strada (d) suppeditat. Turbatis in Belgio
 re-

(d) *De bell. Belg. lib. 6.*

rebus quum Jacobus Marnixius Tholosæ Do-
 minus, unus e conjuratis, Antvverpiam
 versus infestis signis moveret, S. Margarita
 Austriaca Caroli V. Cæsaris filia, tum tem-
 poris Belgii Gubernatrix, metuens ne Tholo-
 sius illato in urbem exercitu firmaret Gheu-
 siorum partes, accito ad se Lanaio, Beavoriæ
 Domino, nobili impigroque Duce „ Testor,
 „ inquit, Deum ad arma me invitam at-
 „ que obluçantem pertrahi: famamque
 „ victoriæ (cujusmodi cura & fæminas
 „ non raro tangit, & mihi aliquem hu-
 „ jusce gloriæ sensum ingenerare potuit
 „ invictus martiusque sanguis) adama-
 „ tam a me in Belgio meo nunquam fuis-
 „ se. Verum cum apud homines ingenio
 „ contumaci, atque implacabiliter impro-
 „ bo nec dissimulatione nec venia quid-
 „ quam effectum sit, quam ut auctorita-
 „ tem nobis, metum illis ademerimus,
 „ profecto male mihi Religionis, Regis-
 „ que ac patriæ causa cordi fuerit, si isto-
 „ rum ego perfidiam nimia indulgentia
 „ invalescentem novissimis aliquando ex-
 „ emplis non coerceam: hostesque ac per-
 „ duelles, modo proeuratam hæresi di-
 „ scordiam, modo sumtis armis defectio-
 „ nem molientes, vi atque armis, ve-
 „ straque qua facile possum, virtute non
 „ frangam. Age igitur Beavori; te enim
 „ læsæ

„ læsæ Majestatis divinæ humanæque vin-
 „ dicem hic volo, & quando ad Osterve-
 „ lam festinatione opus est, illuc cum
 „ imperio contende, Tholosiumque cum
 „ tumultuario exercitu impune præda-
 „ bundum, & tantum hospitibus timen-
 „ dum, armatus aggredere, nec ullis
 „ conditionibus flecti te patere ad clemen-
 „ tiam, sed homines scelestos, indepre-
 „ cabile supplicium commeritos ferro &
 „ igni quamprimum dele. „ Ita eum
 allocuta, jubet e Bruxellensi præsidio
 trecentos sclopetarios seligere: adhæc
 Flandricas cohortes, & gravis armaturæ
 turmas &c. Conspicere heic licet scæmi-
 nam virili, ut erat, animo perorantem,
 & quo certius Duces suos impelleret,
 Dei, religionis, ac patriæ causam in me-
 dium adferre, ac demum implacabilem
 adversum seditiosos animum inspirare.
 Tertium exemplum sit (quoniam apud
 Historicos nihil frequentius, quam indu-
 cere exercituum Imperatores ante prælia
 ad militum concionem dicentes) ex Ma-
 riana (e) petitum, ubi Alfonsi Castiliæ
 Regis cruentam cum Maurorum Rege Al-
 bohaceno pugnam ad Tariffam commis-
 sam describit, in qua ducenta Maurorum
 millia in prælio fugaque ceciderunt. - Rex
 bar-

(e) *Lib. 16. de reb. Hispan.*

barbarus spe tumidus & de victoria certus
 ita suos est adhortatus: „ Si nostram æta-
 „ tem, resque in Africa gestas tantum
 „ respicerem, nihil ad vitæ fructum, glo-
 „ riamque nominis deesse videbatur. Om-
 „ nibus circum nationibus vestra milites
 „ virtute subditis, gentis amor patriæ
 „ religionis studium vobis impulsoribus
 „ in Hispaniam attraxit. Turpe erit,
 „ quod in pace estis polliciti, in pugna
 „ non posse præstare, domi procaces,
 „ in bello ignavi. Si numero pares con-
 „ grederentur, vestræ virtuti crederem;
 „ tamen si certa pestis adesset, mori sa-
 „ tius judicarem, quam ut tantum dede-
 „ cus inureretur. Nunc adversus pau-
 „ cos, inermesque tyrones pugnabitis,
 „ nullo usu firmatos, nulla scientia mili-
 „ tari. Atque illud potius verendum est,
 „ ne Africæ domitoribus cum tali homi-
 „ minum genere pugnasse turpe sit: illis
 „ gloriosum, quocunque tandem even-
 „ tu. Phutenses, Tremesenias, Alger-
 „ benses victorias cogitare. Eo animo,
 „ eaque fiducia, quæ perpetuo victori-
 „ bus esse debent, pugnate erecti, con-
 „ stantes, periculorum, hostium, mor-
 „ tisque ipsius contemptores. „ His di-
 „ ctis ad flumen progressum &c. Contra
 Rex Castiliæ Alfonso his verbis suorum

animos accendit : „ Profunda avari-
 „ tia, infinita imperandi libido, odium
 „ Christiani nominis implacabile, nulla
 „ justa belli causa hanc barbariem in Hi-
 „ spaniam attraxit, inconditam mihi cre-
 „ dite, & ex colluvione multarum gen-
 „ tium conflata. Nemo numero ter-
 „ reatur; sua se multitudine impediunt,
 „ neque ordines servare, neque imperia
 „ accipere idonei. Quanto sibi quisque
 „ minus pepercerit, tanto tutior erit.
 „ Neque decet, in pedibus potius præsi-
 „ dium, quam in virtute armisque pone-
 „ re, nudum cæcumque tergus hosti fe-
 „ riendum præbere. Aut barbaris ser-
 „ viendum, aut strenue pro patria, pro
 „ uxoribus & liberis, pro sanctissima reli-
 „ gione pugnandum; victoriæ spe certa
 „ (nihil in nobis vanitatis est). Quod si
 „ aliter eveniret, ubi majori fructu, ma-
 „ jorique gloria vita brevis, & paulo post
 „ interitura ponatur? Quid salutaris,
 „ quam brevi molestia cœlestes sedes pa-
 „ rari? Quod crux illa sanctissima, cu-
 „ jus auspiciis pugnamus, sanctissimi Pon-
 „ tifices pollicentur. Læti ergo, pleni-
 „ que bona spe in hostes invadite. „ Da-
 „ to signo mota continuo agmina præter-
 „ fluebat fœsus amnis; (fœsetum) unde prælio
 „ nobilissimo victoriæque nomen factum &c.

Encomia atque Judicia.

Sunt hæc dicta quædam ingeniosa ac splendida, ad modum sententiæ prolata, quæ factò alicui, quod laude aut vituperio dignum videtur, subjungitur: Græci vocant epiphonemata. Neque locum duntaxat habent ad finem totius narrationis, sed etiam per illius decursum hinc inde cum gratia interferuntur. Illorum indoles est, tum ut paucis verbis, quod in actione quadam, aut consultatione commendari meretur vel reprehendi, cum libertate ingenua & judicio maturo exprimant, tum ut lectorem informet, & velut tacite admoneant, quid boni malive ex ea consequatur. Si recte fiant, & rite adhibeantur, sunt enimvero narrationis deliciae & charites, ac ingenium simul scriptoris, quantum valeat, demonstrant. Probe tamen cavenda sunt hoc in negotio aliqua, alia vero diligenter observanda, ne quod ornamento esse debuisset, in dehonestamentum historiæ cedat. Cavendum quidem primo, ne passim & ubique in rebus exiguis æque ac grandibus non invitatae hujusmodi sententiæ atque judicia, quæ crises vocant, se quodammodo intrudant; nimium salis,

piperis, alteriusve condimenti cibus aspersum palatum potius offendit, quam orexin excitat. Dein si quæ alia narrationis virtus, certe ista priusquam proferatur, ad trutinam vocanda est; nec quidquid speciosum aut subtile parturit ingenium, id continuo in lucem effundendum, ne loco gemmæ vitrum vendatur; sed ex ipsis narrationis visceribus petenda est. *Curandum* ait Petronius, *ne sententiæ emineant extra corpus orationis expressæ.* Observandum porro est, ut paucis verbis circumscribantur, quæ tamen multum meditationis subministrant, nobilem sensum in legentis mente pariant, utque salubrem morum doctrinam instillent, accendant animum ad virtutem, & a vitio abstrahant: quandoque etiam aculeum post se relinquunt. Exemplo sit locus ille Livii (f), in quo Annibalis indolem depingit: „Missus Annibal in Hispaniam primo
 „ statim adventu omnem exercitum in se
 „ convertit. Amilcarem (Pater is erat
 „ Annibalis) viventem redditum sibi veteres milites credere, eundem vigorem
 „ in vultu, vimque in oculis, habitum
 „ oris, lineamenta que intueri . . . Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum,
 „ ha-

(f) *Decad. 3. lib. 1.*

„ habilis fuit. Itaque haud facile discer-
 „ neres, utrum Imperatori an exercitui
 „ charior esset: Neque Asdrubal alium
 „ præficere malle, ubi quid fortiter ac
 „ strenue agendum esset; neque milites
 „ alio Duce plus confidere aut audere;
 „ plurimum audaciæ ad pericula capef-
 „ senda, plurimum consilii inter ipsa
 „ pericula erat . . . princeps prælium
 „ inibat, ultimus conferto prælio excede-
 „ bat. Has tantas Viri virtutes ingentia
 „ vitia æquabant: inhumana crudelitas,
 „ perfidia plusquam Punica, nihil veri,
 „ nihil sancti, nullus Deum metus, nullum
 „ jusjurandum, nulla religio. Cum hæc
 „ indole virtutum ac vitiorum triennio
 „ sub Asdrubale Imperatore meruit, nul-
 „ la re, quæ agenda audendaque magno
 „ futuro Duci esset, prætermissa &c. „
 Aliud illustre hujus rei exemplum præbet
 Strada (g), dum supremi Ducis Albani
 ambitionem his verbis describit. „ Ac-
 „ cedebat & illud ad invidiam cumulan-
 „ dam, quod eodem tempore trophæum sa-
 „ ne superbum Antverpiana in arce statuen-
 „ dum ex tormentis bellicis Ludovico
 „ Nassovio in Gemingensi prælio ereptis,
 „ constari sibi jusserat, homo in gloriam
 „ apud

(g) *Lib. 7.*

„ apud posteros intentior, quam ex præ-
 „ sentium offensione timidus. Erat hæc
 „ armata ejus effigies, nudo capite, dex-
 „ tro brachio inermi, & in urbem inten-
 „ to: pede statuas ex ære duas premens,
 „ hoc est, duos ex tribus Belgii Ordini-
 „ bus, Nobilitatem Populumque
 „ Quod sane simulacrum mirum quan-
 „ tum omnium odio invidiaque spectatum
 „ est: Belgis quippe frementibus, quasi
 „ eo in monumento quotidie vinci, quo-
 „ tidie in triumphum duci eorum natio
 „ videretur, & Hispanis ipsis homini in-
 „ dignantibus, qui sibi gloriosum acroa-
 „ ma canere, quam audire maluisset.
 „ Nec alia crebrior sermonis materia in
 „ Regis (Philippi II.) aula, irridente in
 „ primis Roderico Gomesio, veteri æmu-
 „ lo, *fidelissimi* appellationem *Ministri*,
 „ nempe qui gloriam Principi suo debi-
 „ tam interverteret, ad seque transfer-
 „ ret: tantoque magnificentius aliqui
 „ efferebant in cœlum modestiam Regis,
 „ qui aliquot ante mensibus, cum ei no-
 „ bilis ab Italia Statuarius obtulisset, im-
 „ positurum se portis urbium per Insabri-
 „ cam Præfecturam Insignia & simulacrum
 „ Regis absque ullo regię pecunię dispen-
 „ dio, laudata hominis voluntate respon-
 „ disse, *Malle se artificem, qui quanta-*
 „ „ *cun-*

„ cunque impensa suum in cælo signum col-
 „ locaret. Quod actu aulico effuse lauda-
 „ batur in Principe, ut ad magni nominis
 „ præconium illustrius vapularet Albanus.,
 „ Alibi (h) Comitum Egmontii & Hornani
 „ supplicium & fatalem catastrophem descri-
 „ bens ita loquitur: „ Funestum Egmontii
 „ finem (namque hic in omnium amori-
 „ bus erat) doluere Belgæ odio majore,
 „ quam luctu. Fuere qui linteola con-
 „ tempto periculo Egmontii cruore asper-
 „ serint, servaverintque seu monumen-
 „ tum amoris, seu vindictæ irritamen-
 „ tum Et sane ab aliquibus haud du-
 „ bitatum est, quin consultius egisset
 „ Albanus, si clam punito Egmontio non
 „ eam scenam ac pompam ingratae ni-
 „ mium populo tragœdiæ conquississet.
 „ Etenim male admoventur oculi spectan-
 „ do illius supplicio, cujus causam com-
 „ miseratio meliorem facere videtur.
 „ Sed homo in terrorem, quo tunc opus
 „ existimavit, intentus invidiam odium-
 „ que sui facile posthabuit. Fertur Galli-
 „ cus Legatus, qui spectaculo occultus
 „ interfuit, scripsisse ad Carolam Regem:
 „ *Vidisse se in Bruxellensi foro decussum*
 „ *illum verticem, cujus virtute bis Gal-*
 „ *lia*

(h) Lib. 7.

„ *lia contremuerit*, clades significans ab
 „ Egmontio illatas Gallicæ Nobilitati ad S.
 „ Quintinum & Gravelingam., Totam lu-
 ctuosam historiam hanc claudit Strada Hor-
 nani similiter capite plexi elogio & sequen-
 ti epiphonemate: *Desleri profecto baud mo-
 dice potuisset bujus Viri (Hornani) mors,
 si non Egmontius omnium lacrymas con-
 sumpsisset.* His subjungo breviores quas-
 dam sententias tum ex ethnicis, tum e
 Christianis scriptoribus depromptas, quæ
 similibus ideas ingenerare possunt:

Livius, dum Tarquinium quintum re-
 giam dignitatem palam in Comitibus Roma-
 norum petiisse ac etiam obtinuisse com-
 memorat, addit: *Ergo virum cætera
 egregium secuta, quam in petendo habue-
 rat, etiam regnantem ambitio est.*

Idem Indibilem, a Carthaginensibus ci-
 vibus suis ob horum avaritiam & super-
 biam ad Romanos deficientem, ita locu-
 tum prodit: *Itaque corpus duntaxat suum
 ad id tempus apud eos fuisse; animum jam
 pridem ibi esse, ubi jus ac fas crederet
 coli.*

Julius Cæsar inquit: *Cum Imperatoris
 non minus sit, prudentia superare, quam
 gladio.*

C. Velleius Paterculus de Cæsare, post
 pugnam Pharsalicam & victum Pompe-
 jum

jum ignoscente civibus: *Cum lubentius vitam victor daret, quam victi acciperent.*

Idem de Pompejo a proditore, quem Ptolemæus Ægypti Rex subornavit, trucidato & inhumato: *In tantum in illo Viro discordante fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam.*

Sidonius Apollinaris de humanæ vitæ misera conditione differens exclamat: *O necessitas abjecta nascendi, vivendi misera, dura moriendi!*

Cyprianus licentiam impune peccandi his verbis perstringit: *Consensere jura peccatis, & cepit licitum esse, quod publicum factum est.*

Hieronymus de mansuetudine: *Irasci hominis est, sed iram non perficere, Christiani.*

Idem de invidia: *Iustus invidia nihil est, quæ ipsum auctorem rodit, discruciatque.*

Augustinus de immensa Dei misericordia: *Ille desperet, qui tantum peccare potest, quantum Deus bonus est.*

Idem de Atheis: *Nemo Deum negat, nisi cui expedit Deum non esse.*

Paulinus de vindicta: *Vicem injuria reddere, humana ultio est; inimicos etiam diligere, vindicta caelestis est.*

Hieronymus de Timore Dei: *Quasi majora sint placita Imperatorum, quam Christi. Leges timemus, Evangelium contemnimus.*

Augustinus de patientia in calamitatibus a Deo immixtis: *Serviat quantum vult, Pater est.*

Idem de tempore mortis incerto: *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.*

§. III.

Forma Historiæ.

XXI.

Formam historiæ adpello habitum illum, ac veluti vestem, quæ simplici rerum gestarum narrationi superinducitur, ne nuda & incomta in publico compareat. Hanc ab arte habere necesse est, quæ tamen naturæ ductum sequatur. Consistit autem tum in rebus, tum in verbis. Ad res quidem pertinent aptæ transitiones, causæ rerum ac circumstantiæ, adfectiones animi intermixtæ, præcipue character quidem, quem toti narrationi imprimit auctor, quoque ad nobilitatis ac splendoris gra-

gradum valde magnum eam evehit: ad verba vero stilius, quem sibi proprium poscit historia, simplicem simul, & modeste ornatum. A *charactere* initium duco. Hic a magnis ideis gignitur, quæ primum in scriptoris ingenio concipiuntur, & postea in ipsas actiones ac res, quas describendas suscipit, felici partu transfunduntur. Ideas autem format imaginandi virtus, quæ omnes præclaras dotes ac quæ rem narrandam circumstant, vivis coloribus depingit ac repræsentat. Colligit enim ex ea, quidquid magnificentum, decorum, generosum, forte, politum, nobile, ac imitatione dignum est reperire, illudque omne stili ope ad majorem adhuc perfectionis & excellentiæ gradum attollit. Hac ratione Titus Livius historiæ suæ formam induxit sane admirandam, qualem nullus alius Historicorum; eamque auxit adtribuendo singulis Actoribus characterem quam maxime proprium. Ita postremis Regibus Romanis omnem, quam suprema potestas suggerere potest, superbiam quasi inspirat: Reipublicæ vero vicissitudines una ex parte exprimit per heroica grandium Virorum facta, & fortitudinis, justitiæ, clementiæ, sapientiæ, insignia domi forisque exempla, ex altera vero per dominationem truculentam & ferro-

ferocem primorum Consulum, per populares Tribunorum commotiones, per implacabilem Decemvirorum in gubernando severitatem, per luxum & molliem ultimorum temporum, præsertim in Romana juventute grassantem: Quamvis ætatem, quodvis seculum surgentis, florentis, ac cadentis Reipublicæ distinguere novit descriptione genii, qui tunc plus regnabat, quin res gestas ac temporum rationes, aut variationes fatorum confunderet, quorum omnium imagines vivas & patheticas exhibet. Contra vero Tacitus, quod in ipso reprehendunt non pauci, eandem rebus omnibus formam tribuit, omnes gentes politico spiritu animat, & causas rerum, consilia, & eventus ad Status rationem, ut vocant, refert, ita ut character, quem Actoribus aptat, non tam eorum, quam ipsius sit Historici. Cætera characteris boni leges sunt, ut non sit talis, qui omnibus conveniat: ut non solam, quæ foris adparent, quemadmodum vestes, oculi, vultus, sed potius quæ intus latentia per actiones se se produnt, depingat, ut Sallustius Catilinæ audaciam & ferociam, qua toti Italiæ trepidationem incussit; Livius grandem spiritum & ambitionem ac cor intrepidum Hannibalis: Lucretiæ

vero

vero ideam honestissimæ sc̄eminæ, dum ait, *Lucretiam nocte sera non in convivio luxuque, sed deditam lanæ inter ancillas sedentem invenerunt*: ut sit verus, vel certe verosimilis: ut non cujusvis obvii, sed personarum duntaxat, quorum præcipuus in historia locus, imaginem exprimat. Hæc de charactere historiæ. Jam de reliquis.

Transitionum quanta necessitas, tantum est artificium. Sine his enim rustica erit narratio, & instar acervi annulorum, quorum nullus adhæret alteri. Ita excursio a regno in regnum, a natione ad nationem, ab uno ad alterum factum, a seculo uno in aliud sine methodo, grandis est hallucinatio historica. Si vero ars desit, soloque verborum & tritarum quarundam formularum nexu partes narrationis cohæreant, tota erit frigida, insipida, & coacta, Opus igitur est, ut describendarum rerum, temporum, locorum & actionum series tam sc̄ite ordinetur prævia meditatione, ut unum alteri filum porrigat, ac portam aperiat, ita ut quasi naturali quadam successione sic evenisse videantur. Est enim historia instar corporis, in quo quævis membra proprium sibi locum, quo collocentur, poscunt, & naturæ vinculo inter se cohæreere debent. Hac in arte
emi-

eminuit inter græcos historicos Xenophon, de quo Tullius: *Xenophontis fluens & sine salebris oratio*. Inter latinos vero Tacitus. Sed hæc transitionum œconomia addisci non potest, nisi optimorum auctorum lectione ac exercitatione frequenti.

Causarum quoque ac *circumstantiarum* ratio diligens habenda est Historico. Nam ut Cicero monet (i): *Rerum ratio vult, ut quoniam in rebus magnis consilia primum, deinde acta, postea eventus expectantur, in rebus gestis declaretur non solum, quid actum aut dictum, sit sed quomodo; & cum de eventu dicatur, ut causas explicentur*. Primum quidem fieri oportet, ut historia determinetur a Commentario, quemadmodum Cæsar itinera sua, castra, obsidiones & pugnas in Commentariis simplici methodo narrat, nullis admixtis causis & occasionibus rerum gestarum. Immo si hæc omittantur, vix erit discrimen in Historicos, & eos, qui nova undique collecta vulgant, quos *Novellistas* appellamus. Nam contenti dicere quid evenerit, parum de origine ac causis prodendis solliciti sunt. Miram autem gratiam conciliat historiæ, si animi designationes, consilia, secreta molimina, & stratagemata

(i) *Lib. 2. de Orat.*

mata in apricum producantur, unde ipsæ actiones promanant. Quo magis enim ista latent, eo majorem si patefiant, admirationem in legentibus excitare solent. Cavendum tamen heic Historico, ne minus bona fide hoc faciat, aut sinistro affectu abripi se sinat, vel pro veris causis conjecturas incerto fundamento nixas vendat. *Haud facile*, inquit Cæsar apud Sallustium (k) *animus verum providet, ubi efficiunt odium, amicitia, ira atque misericordia.* Alterum quod dixi, seu circumstantiæ eo minus sunt negligendæ, quo magis verosimilem reddunt narrationem, uti gratam transitiones. Nam istæ vel elevant actionem, vel deprimunt; certe totam faciunt sensibilem, ut velut oculis videri ac manibus palpari possit. Neutiquam tamen omnes describi debent, sed illæ seligi, quæ maxime idoneæ sunt vel ad grandem ideam rerum formandam, vel ad fidem causæ principali faciendam, vel ad lectorem attentum atque suspensum reddendum. Ejusmodi narrationis vestitiæ sui circumstantiis elegans typus est apud Livium (l) de itinere Hannibalis in Italiam.

(k) *In Catilin.* (l) *Decad. 3. lib. x.*

XXII.

Demum *animi adfectiones* intermixtæ egregiam historiæ formam adferunt. Equidem non ita dominantur, tantoque calore prorumpunt in historia, sicut in theatro, in quo propriam sibi sedem vendicant: ibi enim affectus luduntur, heic narrantur. Nihilominus novit expertus historiæ scriptor per occultas vias & machinas, maxime narrando causas & circumstantias, varios in legentis animo affectus excitare, nunc commovere ad indignationem, nunc flectere ad miserationem, modo cupiditatem accendere, modo inspirare amorem, modo admiratione suspensum tenere.

Affectus eos præcipue, qui dulciores sunt: nemo Historicorum Livio magis commendavit, inquit Fabius. Multa passim hujus rei exempla in Livio occurrunt: illud vero reliqua superat, quo Lucretiæ a Tarquinio per vim stupratæ mortem exprimit (m): „ Paucis, inquit, interje-
 „ ctis diebus dictus Sextus Tarquinius in-
 „ scio Collatino (Marito Lucretiæ) cum
 „ comite uno Collatiam venit, ubi ex-
 „ ceptus benigne ab ignavis consilii, cum
 „ post cœnam in hospitale cubiculum de-
 „ ductus esset, amore ardens postquam
 „ satis omnia tuta circum, sopitique om-
 „ nes

(m) *Decad. x. lib. 2.*

„ nes videbantur, stricto gladio ad dor-
„ mientem Lucretiam venit, sinistraque
„ manu mulieris pectore oppresso: Tace
„ Lucretia, inquit, Sextus Tarquinius
„ sum: ferrum in manu est, moriere si
„ emiseris vocem. Cum pavida ex so-
„ mno mulier nullam opem, prope mor-
„ tem imminentem videret, tum Tarqui-
„ nius fateri amorem, orare, miscere
„ precibus minas, versare in omnes par-
„ tes muliebrem animum. Ubi obstina-
„ tam videbat, & ne quidem mortis me-
„ tu inclinari, addit ad metum dedecus:
„ cum mortua jugulatum servum nudum
„ positurum se ait, ut in sordido adulterio
„ necata dicatur. Quo terrore cum vi-
„ cisset obstinatam pudicitiam velut vi-
„ ctrix libido, profectusque inde Tarqui-
„ nius ferox expugnato decore muliebri
„ esset, Lucretia mæsta tanto malo nun-
„ cium Romam eundem ad Patrem,
„ Ardeamque ad Virum mittit, ut cum
„ singulis fidelibus amicis veniant: ita
„ facto maturatoque opus esse, rem atro-
„ cem incidisse. Sp. Lucretius cum P.
„ Valerio Volsci filio, Collatinus cum L.
„ Junio Bruto venit, cum quo forte Ro-
„ mam rediens ab nuncio uxoris erat con-
„ ventus: Lucretiam sedentem mæstam
„ in cubiculo inveniunt: adventu suorum

„ lacrymæ obortæ : quærentique Viro,
 „ Satin' salve? Minime inquit; quid enim
 „ salvi est mulieri amissa pudicitia? Ve-
 „ stigia Viri alieni Collatine in lecto sunt
 „ tuo : cæterum corpus est tantum viola-
 „ tum, animus insons : mors testis erit.
 „ Sed date dextras fidemque, haud im-
 „ pune adultero fore. Sextus est Tarqui-
 „ nius, -qui hostis pro hospite, priore
 „ nocte vi armatus mihi sibi que, si vos
 „ viri estis, pestiferum hinc abstulit gau-
 „ dium. Dant ordine omnes fidem; con-
 „ solantur ægram animi, avertendo no-
 „ xam a coacta in auctorem delicti : men-
 „ tem peccare, non corpus, & unde con-
 „ silium abfuerit, culpam abesse. Vos,
 „ inquit, videritis, quid illi debeatur:
 „ ego me etsi peccato absolvo, supplicio
 „ non libero : nec ulla deinde impudica
 „ Lucretiæ exemplo vivet. Cultrum
 „ quem sub veste abditum habebat, eum
 „ in corde defigit, prolapsaque in vulnus
 „ moribunda cecidit. Conclamat Vir,
 „ Paterque. Brutus illis luctu occupatis
 „ cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum
 „ manantem cruore præ se tenens : per
 „ hunc, inquit, castissimum ante regiam
 „ injuriam sanguinem juro, vosque Dii
 „ testes facio, me L. Tarquinius super-
 „ bum cum scelerata conjugè, & omni
 „ libe-

„ liberorum stirpe ferro, igni, quacun-
„ que dehinc vi possim, exacturum: nec
„ illos, nec alium quemquam regnare
„ Romæ passurum &c. „ Sistere heic
juvat ad furentis amoris, casti pudoris,
virilis in muliere fortitudinis, & vindictæ
justissimæ affectus tam pathetice descrip-
tos. Aliud melioris & Christiani in scœmi-
na pudoris exemplum a Maffei (n) de-
scriptum adjungo. Erat in Indiis Emma-
nuel Sosa, cognomento Sepulveda, nobi-
lis Lusitanus, Vir opulentus & splendi-
dus, qui ducta in matrimonium Eleonora
Garcia Salæ, tum Prætoris, filia patriæ
revisendæ desiderio tactus cum uxore le-
ctissima & parvis liberis, Nobilibus ali-
quot, ac famulorum turba navim merci-
bus & thesauris ingentibus onustam in
portu Cocinensi conscendit, rediturus in
Lusitaniam. Iter feliciter cœptum mox
horribili naufragio funestatum fuit, multis
comitum intereuntibus, parte maxima
pretiosarum mercium deperdita, Emma-
nuele cum uxore & liberis in litus regio-
nis barbaræ ac desertæ ejectis. Ibi post
mille famis, frigoris, insidiarum, expila-
tionum, prodicionum pericula demum
misero fato una cum conjugæ ac liberis
periit.

(n) *Lib. 16, Hist. Indic.*

periit. Tristem exitum narrat Maffei-
 his verbis : „ Rex barbarus gemmis, au-
 „ roque & argento, & quod pretiosi reli-
 „ quum Sofæ & familiaribus fuerat, avi-
 „ dissime raptis corporibus tantum ac ve-
 „ stimentis abstinuit; domoque cunctos
 „ item exigit, insuper increpans, clemen-
 „ tia se adductum non pro meritis tractaf-
 „ se vagos piratas, & communes humani
 „ generis inimicos. Tum demum sensere
 „ Sosa comitesque, quam stulte se se iner-
 „ mes ignotæ ac barbaræ fidei credidis-
 „ sent. Neque hic finis miseriarum fuit.
 „ Namque dum inopes consilii solutis or-
 „ dinibus, nullo rectore, nullo signifero,
 „ passim incerto errant gradu, nova re-
 „ pente Æthiopum manus, præacutis ar-
 „ mata sudibus, in Sofæ manipulum in-
 „ vadit: ipsumque & cæteros utriusque
 „ sexus nullo discrimine vestibus nudat,
 „ innoxios & contra nec hiscere quidem
 „ audentes. Adeo ablatis armis cecide-
 „ rant animi. Eleonora tantum, generis
 „ memor, ac pudoris ad ultimum reti-
 „ nens obniti acriter pugnis, quin etiam
 „ colaphis barbaros ultro ad necem irrita-
 „ re, quoad mariti demum hortatu, &
 „ deficientibus jam plane viribus abstinit:
 „ nec mora detractæ direptæque vestes;
 „ metu ac pudore confusis, qui ex infelici
 „ „ comi-

„ comitatu restabant, atque ab tanta re-
„ rum indignitate avertentibus oculos.
„ Tum vero castæ matronæ tristior omni
„ morte lux visa est: defodit arenis e ve-
„ stigio se se; quæ supererminent, soluto
„ raptim fusoque obtegit crine. Mox ad
„ Andream, paucosque superstites, voce
„ suprema: Vos quidem, inquit, duci
„ vestro fidem egregium præstitistis, opti-
„ mi Viri. Nil ultra opus est. Ite, vo-
„ bisque ipsi tandem aliquando consulite,
„ ac si quem patriis olim finibus reddi
„ contingat, renuntiate, quo loci mea
„ me maritumque delicta perduxerint.
„ Mœstum inde silentium immobilis te-
„ nuit. Cara tantum intuenti pignora
„ juges rivi lacrymarum denso cum ge-
„ mitu profluebant. Sosæ item altus mæ-
„ ror ac dolor vocem incluserat: cum-
„ que defixo in terram obtutu, aliquam-
„ diu attonito ac stupenti similis adstitis-
„ set, paterna demum extimulante cura
„ proximam in sylvam quærendo quali-
„ cunque nutrimento secedit. Inde re-
„ gressus Eleonoram triduo jejunio fle-
„ tuque pæne consumptam, e filiolis al-
„ terum prorsus extinctum offendit, eum-
„ que suis ipse manibus terræ mandavit.
„ Postridie eodem pabulandi functus offi-
„ cio, conjugem una cum filio exanimem

„ reperit, & lamentabili circumvocifera-
 „ tione complorantes ancillas. Hisce
 „ confestim submotis in dexteram jacentis
 „ manum aliquamdiu reclinato capite in-
 „ cubuit: dein iisdem adjuvantibus an-
 „ cillis cadaver utrumque sepelit, nihil
 „ unquam effatus. Postremo iterum se
 „ se abdit in sylvas. Ibi laniatum a feris
 „ putant. Nunquam deinde comparuit...
 „ Cæterum tanta Sosæ calamitas longe la-
 „ teque vulgata misericordiam hominum
 „ civit; cupiditatem & audaciam non im-
 „ minuit. Anno quippe insequenti Na-
 „ varchi alii quinque Lusitaniam versus
 „ Cocino solvere. „ Animadvertere heic
 licet grandium affectuum expressionem:
 in uxore quidem tam pudicam quam ge-
 nerosam in mortem usque indolem, in
 marito autem intrepido alias Belliduce
 animum calamitatis magnitudine velut in
 saxum sine voce obrigescentem.

XXIII.

Jam ad formam, quæ a foris advenit
 narrationi, seu quæ in verbis consistit,
 quamque stylum historicum esse diximus.
 Hunc autem verbis explicare aut legibus
 certis comprehendere res oppido difficilis
 est, ita ut de agrorum vicinitate atque
 confinio altercantibus citius ponere limi-
 tes,

tes, quam in hac ampla stili possessione modum legemque possis definire. Non pauci sunt, qui contendunt illum esse stilum propriissimum, qui cujusvis genio competit, quemque sequi oporteret, quin vis ulla inferatur, aut hujus vel illius auctoris methodo, quem in scribendo observat, dicatur sacramentum. Alius est stilus Herodoti, Thucydidis, Plutarchi; alius Cæsaris, Livii, Taciti, Flori: quisque diversum aliquid ab altero, admirabile tamen sibi que proprium in se continet, quo laudem, atque ut ita loquar, invidiam posterorum prisca scriptores isti sibi compararunt. Nihilominus sunt quædam dotes stili, e quibus ejus virtus vel vitium deprehendi facile potest, quasque palam facere insignis rei utilitas suadet. Itaque prima stili dos est sermonis integritas, quam *puritatem* alii vocant. Ob hujus neglectum multa Historicorum opera, quorum Photius, aliique Bibliothecarum Præfecti meminerunt, periire, nec ætatem tulerunt, nauseante scilicet inconditam dictionem Lectorum delicato stomacho. Procul arcenda proin sunt verba impropria, humilia, obscura; magis sententiæ duræ, asperæ, vel audaces. *In sententia* monet Cicero (o)

nihil

nihil absurdum, aut alienum, aut subinfusum: in verbis nihil inquinatum, abjectum, non aptum, durum, longe petitum. Quod de oratione Tullius, aperte id de Historia pronunciat Paullus Benius (p) dicens: *Historico sermoni decus conciliet perspicuitas, proprietatesque verborum.* Hac in re excelluit Herodotus inter Græcos, & inter Latinos Cæsar, de quo postremo, ejusque Commentariis Hirtius (q) ita loquitur: *Constat, inter omnes nihil tam operose esse ab aliis perfectum, quod non elegantia eorum commentariorum superetur.* Altera dos est brevitatis, per quam ab oratorio se distinguit stilus historicus. Et vero quemadmodum in concione auditorum expectatio, ut totius causæ summam & argumentorum vim percipiant, exigit ab oratore diffusum ac copiosum dicendi genus seu ad persuadendum, seu ad convincendum, ita lectorum aviditas & quædam impatientia, qua ad rei exitum intelligendum festinant, succinctam narrandi methodum ac brevitatem postulant ab Historico. Hinc est, quod Quintilianus (r) comparationem instituens Herodotum inter & Thucydidem his verbis utatur:

Hi-

(p) *Lib. 1. de hist.* (q) *L. 8. de bell. Gallic.*

(r) *L. 10. Instit.*

Historiam multi scripsere præclare; sed nemo dubitat, duos longe cæteris præferendos, quorum diversa virtus laudem pene parvam est consecuta: densus & brevis, & semper instans sibi Thucydides, dulcis & candidus, & fusus Herodotus. Cicero tamen prioris seu Thucydidis partibus favere videtur, dum eum (s) adpellat scriptorem subtilem, acutum, & brevem, sententiis magis quam verbis abundantem. At alio in loco similiter comparans inter se eosdem Herodotum & Thucydidem: Alter enim inquit (id est Herodotus) sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit, alter incitator fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. Illud quoque, quod in Sallustii historia eminet, & unde proprius ejus character desumi debet, est stili brevitatis & mira velocitas: Brevis, inquit Sigonius, sed nihil non ea brevitate comprehendens: sententiis gaudens, & antiquis verbis. Et Aulus Gellius subtilissimum brevitatis artificem Sallustium adpellat, ac proprietatum in verbis Magistrum. Dum autem brevitatem stili commendo, eam intelligo, quæ a sublimi & perspicacis ingenii virtute oritur: etsi enim Sallustii & Thucydidis imitatio-

(s) *Lib. 2. de Orat.*

tatione austerum quid sapere videatur, maxime tamen historiæ congruit, quum eidem pondus & vigorem, atque sublimè quid tribuat, neque sua etiam elegantia destituatur. Tertia dos stili historici est claritas. Hæc regula est illius, quod dici debet, quemadmodum veritas est ejus, quod debet cogitari. Et sane nihil magis officit historiæ, alias etiam optimæ, quam obscurus, quo res narrandæ, animique sensa produntur, stilus; quoque amœnior aut gravior est narrationis materies, eo magis ad indignationem provocat lectorem sciendi cupidum, sed ubique ob sermonis salebras hæere coactum. Quapropter, ut prius dicebam, laudat Tullius Herodotum, *quod sine salebris quasi sedatus omnis fluat*. Meminisse oportet Historicum, se non scribere Hariolis, Haruspibus, aut Ægyptiis artis hieroglyphicæ peritis, qui arcana sensa obscuris signis expressa divinare norunt, sed hominibus lucem amantibus, & veritatem aperta fronte incedentem quærentibus. Unde apud non paucos vapulat Tacitus, utpote in quo sæpe stilus asper & obscurus deprehenditur: si quando autem in eo radii emicant, similes videntur fulguri, quod oculis plus officit, quam ut illis lucem affundat. An autem obscuritatem ipse

Tacitus adfectarit, aut illorum, qui libros transcripserunt, errori potius quam desidia tribuenda sit, dubitant quidam eruditi, inter quos Vossius. Contra extollunt Critici omnes in Curtio, & Cornelio Nepote claritatem & candorem sermonis, qui ubique in eorum scriptis effulget. Quarta dos est ornatus, decens tamen castam matronam potius, quam virginem comtam & procis obnoxiam. Quare historia non admittit cimelia Oratorum, ac respuit delicias Poetarum: illorum enim est movere ac persuadere: horum delectare hujusmodi ornamentis, aures & animos demulcentibus. At historici est nudam veritatem profiteri, fidem suæ narrationi conciliare, grandibusque exemplis ad imitationem excitare. Unde Tullianum illud (t): *Cæsar scripsit Commentarios, qui nudi sunt absque omni ornatu orationis.* Cautè igitur adhibendæ figuræ (præsertim quæ ad solam amplificationem & ambitum sermonis serviunt) nec nisi ubi opus est vel ad tollendum narrationis frigus, & calorem lectorum mentibus immittendum, quo ad egregia facinora animentur: vel ad actionum quarundam vivas imagines exprimendas, ut in Herodoto & Xenophonte, in Sallustio &


Li

(t) *In Bruto.*

Livio adparet. Non effugit censuram Vossii (u) aliorumque L. Flori stilus elegans, floridus, nitidus, mire gratus, sed Poeticam, nativam nempe domui Sene- carum, e qua oriundus erat, dictionem sa- piens, ut alibi dicebam. *Dictio quoque,* ait Vossius, *sane domum sapit; nam ea Eloquentiæ ac Poeseos laude insignis fuit: at dictio Historici hujus est disserta & Poe- ticiæ propior; immo opus ipsum vix aliud quam declamatio est.* Ornatus igitur hi- toriæ debet præferre quemdam candorem, & simplicem cultum, dicente Fa- bio (x): *Si oratio perderet gratiam simp- lificis & inaffectati coloris, perderet & fidem.* Hoc consequi licet tum adhiben- do verba propria & communia, semper tamen emphasi plena, tum adferendo co- gitationes ac animi sensa vivum quid spi- rantia, ad quod autem singulari dono & indole opus est, scilicet non dicere orna- tius, quam simplex ratio veritatis ferat, inquit Cicero (y). Nam omne quod est grande, cessat esse tale, quam primum simplex non est; & illud, quod est sim- plex & grande simul, granditatem dupli- cat, & evadit sublime. Superfedeo heic exemplis, quoniam priora antiquorum &

(u) *De hist. Latin.* (x) *Lib. 9. c. 4.*(y) *L. I. de Orat.*

& recentiorum attentius lecta sufficient
ad ideam boni stili ingenerandam.



CAPUT IV.

INFORMATIO TUM DE SCRIBENDA, TUM DE LEGENDA HISTORIA.

§. I.

Observanda in Scriptione.

XXIV.

Ardua sane res est, & maximis difficultatibus obnoxia, historiam ut decet scribere. Est enim historici, qui grandia heroum facta dictis exæquare cupit, & tanti nominis mensuram implere, Historici inquam munus est universim, judicare velut suprema cum potestate de omnibus, quæ in hoc mundo geruntur: condere fatum illustribus Viris ad eorum famam apud posteros commendandam: & publicas quasi prælectiones instituere ad informandos per narrationem rerum memorabilium omnes populos. Unde Cicero (z) verissime ait: *Magnum quid historiam scribere, & summi Oratoris proprium.*

(z) *Lib. 2. de Orat.*

prium. Requirit enim inprimis ingenium vastum & capax grandium idearum, tum ut universam tot rerum diversarum, ac sæpe multo intervallo temporis ac loci distitarum, ad idem argumentum pertinentium molem complecti, tum ut propriis dignisque characteribus singula exprimere possit. Præterea opus est magno robore ac animi firmitate ad veritatem sine fuce dicendam, & ad vitia, si quæ occurrunt satis certa, in magnis etiam heroibus non dissimulanda, aut omnino tegenda; ubi deponenda est parum prudens religio, qua nonnulli scriptores tenentur, dum displicituros se credunt, si non omnia laudent & extollant in heroe, aut Principe Viro, quem describendum sibi sumunt. Falluntur isti: etiam solis facies placet, licet depingatur cum maculis, quas in eo detexit posterius ævum. Dein non mediocri judicio & vi quadam penetrandi in arcana mentis præditus esse debet Historicus, ut eorum, de quibus tractat, latentia consilia, artes, industrias, & non raro fraudes quoque, si aut utile aut necessarium sit, palam faciat. Demum æquitate inexpugnabili instructus sit oportet, ut suum cuique tribuat, nihil detrahat de laudibus, nihil supra meritum addat, nec partium studio, vel sinistro nationis aut patriæ

patriæ spiritu, multis admodum familiari, abripi se sinat a recto narrationis tramite. Illustre profecto testimonium est, quod hac de re præbuit Anna Comnena, non solum generis sed & literarum laude conspicua. Hæc dum libris *Alexiados* dictis patris sui Alexii res gestas græco idiomate complexa est, in præmio ita loquitur: *Nam si quis historiam, prout convenit, scribere suscipiat, hunc Et amore Et odio vacare oportet: ac sæpe maximis laudibus inimicos ornabit, si quando id actiones requirant: sæpe etiam necessitudine conjunctos vituperabit, si vitæ delicta hoc faciendum ostendent. Propterea nec amicorum vituperatione, nec inimicorum laudatione abstinendum.* Observant nonnulli Criticorum, plus favisse Livium Pompeio quam Cæsari: contra Dionem magis huic quam illi: Tacitum ubique Germanico adulatum esse, quem perpetuo insectatur Paterculus, ut Tiberio placeret: Eusebium quoque non nisi virtutes Constantini spectandas exhibere, dum Zozimus ut plurimum ejus vitia in medium producit. Quare Historicus non illud Ovidianum sibi dictum existimet:

*Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua
fuit.*

Sed

Sed potius illud Virgilio:

*Tros Rutilusve fuat, nullo discrimine
habebo.*

Verum his difficultatibus quæ in scribenda historia occurrunt, cordatus Vir, quem idoneis ad rem tantam perficiendam dotibus natura instruxit, absterri nequitiam debet; labore ac patientia vinci ardua quæque posse ipsa nos historia docet illustribus exemplis, quibus omnibus carere deberemus, si manum labori subtraxissent Scriptores tum veteres tum recentiores; & carere deberemus cum maximo boni publici detrimento, cujus plurimum interest, ut res a Majoribus præclare gestæ, earumque Auctores innotescant posteris. *Pulchrum imprimis videtur, ait Plinius (a), non pati occidere, quibus æternitas debetur.*

XXV.

Sed jam ad ipsum bonæ Historiæ scribendæ fundamentum accedamus. Hoc aliud non est omnium consensu, quam veritas. Profecto historiam scite comparavit Polybius (b) cum regula & norma. Hæc enim si recta non sit, quamvis ex auro vel argento fabrefiat, nequaquam est

(a) *Lib. 5. Epist.* (b) *Lib. 12.*

est regula, nec pro norma servire poterit ulli artificum vel opificum: ita historia ut ut amœna, magnifica, & cæteris ornamentis dives sit, si veritas deficiat, ad quam tota commensurari atque componi debet, historia non est. Hinc ipse, de quo dixi, Polybius ne quid falsi scriberet vel imprudens, iter instituit in oras longinquas, suisque eas oculis lustravit. Galliam enim & Alpès adiit, ac Hispaniam fere totam percurrit, ne de rebus, quæ a Scipione in his terrarum tractibus gestæ fuerunt, minus explorata scriberet: immo per Atlanticum quoque mare vela fecit, ne de Annibalis profectioe referret aliqua, quæ non certissima forent: Romanam denique linguam didicit, operamque dedit, ut antiqua eorum monumenta intelligeret, quæ multi etiam indigenæ, atque hi præstantes viri, ignorabant. Tantis historica veritas impensis stetit veteri huic historico, quam alii non raro adulationibus Principum, aut propriis malis adfectionibus venalem faciunt. Multorum enim studium est, ait Juvenalis (c), *ut de magnis majora loquantur*. Duplex autem peccati genus est, quod contra veritatem committere potest Historicus, *citra vel ultra modum*.

(c) *Satyr. 4.*

Citra modum peccat, qui vel ignorantia rerum, vel omnino mala fide reticet aut suppressit, quæ seu ad alterius laudem, a quo alienum ipse gerit animum, cedere merito possent, seu ad illius, cuius partibus nimium addictus est, vituperium ac reprehensionem pertinere videntur. Exempla utriusque habemus in præstantibus cæteroqui scriptoribus veteris ac nostri ævi. Thucydides quidem dum narrat (d), Antiphontem Rhetorem solvendæ Atheniensium Democratix importunum auctorem exstitisse, studiose dissimulat supplicium, quo temeritatem suam luere debuit Antiphon, ut a feris laniaretur, projectus: & hoc quidem amore Præceptoris sui factum est a Thucydide. Contra Sallustius Catilinæ sociorumque conjurationem luculenter & graphice describit, ita tamen, ut omnia illa, quæ ad Ciceronis encomium spectant, qui primus eam detexit, ac postremus oppressit, dolo malo prætermittat. Constat enim, Senatum eam ob rem Ciceroni solemnes gratias egisse, Patrem Patriæ consalutasse, ac supplicationem decrevisse. Sed de his altum silentium: nimirum ut Julio Cæsari faveret, qui ejusdem conjurationis clam reus esse

(d) *Lib. 8. bell. Pelopon.*

esse ferebatur. Non minus Platina, qui vitas Pontificum scripsit, multa quorundam, erga quos infestum gerebat animum ob negatos sibi honores, egregia facta & decora reticuit; aliorum famam fictis vel dubiis criminibus, quorum nullum apud tot alios historicos vestigium exstat, sugillavit. Petrus Suavis quoque simili vindictæ spiritu correptus historiam suam de Concilio Tridentino in satyram convertit, qua homo vaferrimus summorum Antistitum dicta factaque, quin & Religionis Catholicæ dogmata misere corrupit, ac petulanter traduxit, plurimisque mendaciis datam fidem violavit. Est tamen his insuper habitis quandoque venia danda Historico, immo licentiæ, si grandia quædam vitia silentio prætereant; primo quidem, quæ sibi soli aut paucissimis arbitris nota sunt, quoniam in iis, quæ occulta, jus ad famam neque mors auferre possit citra injuriam. secus est, si flagitia hujusmodi in omnium oculis ac ore versentur: dein, quæ admodum turpia & honestis auribus intolerabilia sunt, ita ut eorum commemoratione & scriptorem & chartas erubescere oporteat. Non minus enim honestatis quam veritatis ratio habenda est, nec verendum, fore ut respublica detri-

mentum patiatur, si actiones quædam oppido fœdæ ac obscenæ subtrahantur posterorum memoriæ, cui tot alia in utramque partem exempla sufficiunt. Quodsi tamen Historico narrationis natura vel series necessitatem & quasi vim inferat talia producendi, cursim ac paucis id fiat, nec ita, ut scriptor velle videatur, ne ulla impuritatis particula lectorem prætereat. Plerique id vitio vertunt Suetonio, quod Tiberii, Caligulæ, ac Neronis spurcissimos mores atque libidines adeo curate describat, & vivis coloribus depingat, quas presse atque verecundo magis calamo enarrare oportuisset.

Gravius autem contra veritatem peccatum est, & ultra modum, ut dixi, si vel falsum quid historiæ inseratur, vel si res gestæ alio longe modo, aliave ratione, quam ipsarum natura & indoles poscit, narrentur, ita ut virtutes vitia, & vitia virtutes esse adpareant. Hoc fit, quando Historici pictores imitantur, qui vel personis aspectu fœdis pulchritudinem, imbellibus fortitudinem, mansuetudinem crudelibus colorum beneficio conciliant, non raro etiam e pygmæis gigantes faciunt, vel eam tribuunt formam, non qua illi gaudent, sed quam hi suo in
cere-

cerebro sibi effingunt. Sunt, qui hac in re Apellis artificio utuntur. Hic quum Antigonus altero lumine captus ita pingi desideraret, ut nullum in vultu vitium notaretur, pictoribus aliis frustra id efficere conantibus primus eam methodum excogitavit, quæ hodie frequens est, videlicet, ut non tota intuentibus facies pateret, sed porrecto naso dimidia solum, atque ita pars vitiata lateret. Sed artificium hoc, uti in Pictoribus ac Poetis est tolerabile, ita in Historicis neutiquam liberale est, sed a plerisque in Tacito & Suetonio graviter reprehenditur, qui Imperatoribus suis, ac plus eorum vitiis serviliter & ultra modum blandiuntur. Ectypon prototypo quam simillimum requirit historia, quemadmodum Aristoteles docuit tacita quadam comparatione inter pictores & historicos instituta, inquiens: *Polygnotum solitum esse, quos exprimeret, facere meliores, Dionysium vero similes.* Lex igitur lata jam pridem est a Tullio, nimirum: *Historicus non solum ne quid falsi dicere audeat, sed etiam ne quid veri dicere non audeat.* Ut autem cognosci possit character veritatis, num insit historicis, qui passim circumferuntur, libris atque scriptis, non abs re erit, quasdam cum rerum peritis leges statuere: Melchior

134 *Cap. IV. Inform. de scribenda,*
chior Canus, acerrimi Viri iudicii (e) se-
quentes tradit, quibus veraces a fallaci-
bus internoscantur. *Prima*, quæ ex ho-
minum probitate integritateque scripto-
rum sumitur, & locum habet, quando
quæ narrant, vel ipsi se vidisse, vel ab
aliis, qui viderint, se accepisse testantur.
Est enim morum integritas velut sigillum
veritatis, ejusmodi narrationibus impres-
sum. *Secunda*, de probitate vero satis
constare censendum est, non quidem ex
ætate scriptorum remotissima, (non enim
sufficit vetustum esse auctorem, qui hoc
vel illud tradat) sed ex fama, & gravi
atque frequenti præteritorum hominum
testimonio. Sunt enim ex profanis scri-
ptoribus non pauci, quorum ingenuitas
& verecundia sermone hominum celebra-
ta est, ut nemo illos (licet ut gentiles in
multis erraverint) in fingendo impuden-
tes existimarit. Tales sunt Cæsar, Vale-
rius Maximus, Varro, Livius, Halicarnas-
seus, Polybius, Lucius Florus, Cornelius
Nepos & alii. *Tertia*, maximum pon-
dus habet vitæ sanctitas vel explorata
probitas, quæ in Viris maxime Ecclesia-
sticis elucet, & eorum scriptis dictisque
auctoritatem conciliat, utpote quibus
nullum cum mendacio commercium esse
solet,

(e) *Lib. II. c. 6.*

folet, aut ex falsitate lucrum accrescit. Ita venerabundi accipimus, si quas referant historias SS. Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M. V. Beda, alique, si inquam se vidisse, aut a Patribus Antiquioribus vel Majoribus, quod viderint, accepisse testentur. *Quarta*, eos cæteris historicos merito anteferimus, qui ingenii severitati adjunxere prudentiam & ad eligendum, & ad judicandum. Quæ lex in iis rebus locum habet, quas neque scriptores ipsi sunt intuiti, nec a viris fide dignis, quod viderint, ipsi audierunt: homines enim graves & severi non solent inanem vulgi sermonem aucupari. Huic addo geminam aliam: unam, si scriptoris alicujus narratio conveniat cum pluribus, maxime ejusdem ævi, nisi gravis suspicio accedat, eam a pluribus ex eodem fonte minus sincero haustam aut descriptam fuisse: alteram, si in plerisque aliis, quæ narrat auctor fide dignus, verax esse deprehendatur, merito judicari potest, eum in recensendo hoc vel isto factò, licet prima fronte admiratione potius quam fide dignum videatur, fallere non voluisse, nec hominis veritatem amantis famam periculo exponere. *Quinta*, si cui Historico auctoritatem tribuit

136 Cap. IV. *Inform. de scribenda,*
Ecclesia, hic procul dubio dignus est, ut
nos eam auctoritatem adjungamus: con-
tra vero, si cui Ecclesia derogavit fidem,
ei quoque nos fidem jure ac merito de-
negabimus. Hoc enim non facit Eccle-
sia, nisi re diu multumque examinata,
nec absque gravium doctorumque Viro-
rum consensu, accedente etiam in rebus
fidei & morum illius quam vocamus *in-*
fallibilitatis prerogativa. His quidem
tum monitis tum legibus abunde cau-
tum esse veritati historicae videri posset.
Sed ut imbecillis est humanae mentis
conditio, nimis quam verum experimur
dictum Vopisci, qui & ipse non ignobi-
lis historicus erat, nempe *nullos non hi-*
storicorum aliquid mentiri: alios imbecil-
litate, alios studio fallere.

XXVI.

Hæc de veritate, ad quam Historicus
non minus ac magnes ad polum respicere
semper debet, satis certa sunt. Gravis
tamen inter ipsos scriptores lis exoritur,
an conjecturis quoque ac propriis judiciis
in historia locus sit concedendus. Sunt
non pauci, qui hoc inficiantur. Ajunt
enim, historiam finiri, quod sit rerum
gestarum commemoratio, non vero com-
mentationum, conjecturarum, ac divina-
tio-

tionum, quibus non raro scriptores factorum seriem involvunt atque impediunt, quo minus veritas in eo, quem amat, simplici vestitu compareat: porro historię finem esse, ut posteri non tam præceptis morum palam, quam Majorum exemplis tacite erudiantur ac informentur; secus historiam degenerare in Philosophiam moralem, aut etiam in Poesin. Unde Aristoteles (f) hoc discrimen statuit inter Historicum & Poetam, quod hic qualis debuerit esse Alcibiades, ille qualis omnino fuerit, describat. Verum sunt alii, qui ejusmodi conjecturis atque judiciis, quæ narrationibus suis interserere solent Historici, patrocinium indulgent. Nam imprimis se causamque hanc tuentur auctoritate Polybii, Livii, Taciti, aliorumque historię principum. Tum vero inquit, sine his condimentis inspidam reddi narrationem, & ab Annalibus parum vel nihil differre, si res gestæ veluti nude narrentur, immo ut ait Polybius (g): *ab historia si quis auferat quare, quomodo, quo fine, id ludicrum magis erit, quam doctrina.* Hanc enim quis nescit esse finem historię, nunquam tamen obtinendum, nisi consilia & causæ eventuum adferantur,

(f) *In Poet.* (g) *Lib. 3. hist.*

tur, & judicia tanquam notæ quædam vel sapientiæ vel temeritatis in agendo a scriptore adponantur: & si Philosopho uti quandoque licet exemplis, quod Historicorum est, cur non etiam Historico fas sit, uti morum præceptis, quod est Philosophorum? Audita sic utraque parte mediam tenere viam juvat. Non equidem omnes conjecturas atque judicia exulare ab historia debere censeo: duo tamen erunt diligenter observanda. Primum est, ut perparce ac verecunde inspergantur; alias lectoris mentem a susceptæ semel narrationis serie non sine fraude aliqua avocabunt, quod potissimum fit longioribus & minus opportunis, quas vocant, digressionibus: alterum est, ut ex ipsis rerum gestarum visceribus eruantur, ad quod opus est magno consilio, nec mediocri studio. Secus odiosa erunt hæc & similia historiæ emblemata, maxime si iudicis partes occupare velle videatur historicus a quo testimonium expectatur, non iudicium, sed hoc permittere oportet ipsis lectoribus, qui si sapiant, longe certius atque gratius sua cum alienis factis ac moribus comparando salubria deducunt documenta, quod plerique ita sint constituti, ut libentius a se, quam ab aliis admoneri se sustineant. Hoc certe nos docent præclara

clara illa historiæ lumina; de quibus dictum est, qui caute admodum, moderate, ac opportune de suis opinionibus aliqua adjecerunt, aut aliqua solum, & velut aliud agendo insinuarunt, relicta lectoribus judicandi potestate.

XXVII.

Jacto fundamento ad ipsius fabricæ constructionem pergamus. Hanc autem licebit addiscere ex præstantibus Architectis seu Auctoribus, qui certam methodum, certasque leges circa negotium istud præscripsere. Primus esto e priscis Halicarnasseus, cujus informationem a Jano Grutero suæ Polyanthæ insertum in compendio heic dabo. Historicam narrationem, inquit Halicarnasseus (h), perpetuo velut filo ductam & colligatam esse oportet, præsertim ubi res exponuntur & multæ, & hujusmodi, quæ cognosci ac percipi haud queant, si per ambages eatur. Laus vero non minima in bene ordinanda historia est sita, si & principium, quo aliud prius non sit, capiatur, & eo fine, cui nihil deesse videatur, comprehensa narratio terminetur. Porro ex officiis, quæ historiam scribenti incumbunt, illud primum esse puto, immo etiam necessarium, ut

(h) De Judic. Hist. Thucyd. c. 10. Et II.

ut qui res hominum gestas annalium monumentis mandare studet, materiem eligat pulchram & jucundam, verbo talem, quæ animos legentium voluptate adficiat, atque perfundat. Secundum munus esse credo, ut qui facta illustria ad posterorum memoriam transmittere volet, antea probe perspiciat, unde principium ducendum, & quousque progrediendum sibi sit, ne narratio extra orbitam saltet, sed intra debitos limites se se contineat. Tertium, perpendere diligenter ac maturo iudicio secernere tum ea, quæ in historiam referenda sint, tum illa, quæ silentio præterire oporteat. Quartum, quod historico curandum est, materiæ jam præparatæ partitionem esse iudico, scilicet ut unumquodque eorum, quæ exponuntur, suo loco collocetur, ne vel eandem rem sæpius repetere sit necesse, vel posteriora prioribus male cohæreant. His accedere debet animus scribentis a sinistris adfectionibus aut a præjudicatis in hanc illamve partem opinionibus plene liber, quod nisi fiat, præsens periculum est corrupendæ veritatis. Denique squallidam & incomtam aut rudem in historia tractanda orationem non probo, sed talem, quæ Poeticum quid habeat, neque vero omnino Poetica sit, paullo tamen

men extra communem usum evagetur. Ita Hallicarnasseus, scriptor & vetustate & eruditione insignis, qui quæ hæcenus a me latius explicata fuerunt, mire suffragio suo antiquissimo confirmat.

Audiamus modo & Lipsium, Virum in omni genere literarum eruditissimum. Hic ad historiam legibus conformem tres notas requirit: *Veritatem, Explanatorem, & Judicium.* Prima nota est, ut res eventusque sincere atque ex veritatis præscripto sine fuce narrentur, nec vanis rumoribus aut meris conjecturis locus tribuatur. Nam quemadmodum si alicui eruantur oculi, reliquum corpus nulli usui est, sed huc illuc vacillat, ita si veritas dematur historiæ, ubique hallucinabitur & errabit. Veritas enim teste Hallicarnasseo *principium est & prudentiæ simul & sapientiæ.* Altera seu explanatio, nimirum ut res, quæ narranda suscipitur, non solum fideliter referatur, sed etiam debito ordine disponatur, exponaturque ut non tantummodo casus & eventus rerum, sed ratio etiam causæque noscantur. Hæc si auferantur ex historia, quidquid in ea reliqui, id Polybio teste *ludicrum magis erit quam doctrina.* Tertia denique nota est, ut discrimen lumenque rebus adhibeatur; quod fiet, si maturo
con-

142 Cap. IV. Inform. de scribenda,
consilio & loco opportuno, caute tamen
casteque, ut monui, historicus judicia sua
interferat, quibus illa probet, ista dam-
net. Quippe præcipuum hoc munus An-
nalium esse ostendit re ipsa Tacitus: *ne
virtutes sileantur, utque pravis dictis fa-
ctisque ex posteritate & infamia sit me-
tus.*

XXVIII.

Idem argumentum tractat Rapinus no-
ster nobili quodam, ut solet, spiritu ac
methodo. Initium ducit a scribendi ra-
tione, quam sectari debere quemlibet con-
tendit talem, quæ seculi illius, quo scri-
bit, gustui ac populorum, quibus scribit,
genio quam maxime respondeat, & satis-
faciat. Quum tamen non solum præsentibus placere necessum sit, sed etiam poste-
ritati, quæ iudex esse solet eo magis deli-
catus & incorruptus, quo remotior est a
præjudiciis priorum temporum, nec nisi
veris meritis suam indulget adprobatio-
nem, ideo viam monstrat promerendi
suffragium quoque posteritatis, proferen-
do dotes, quibus tum Scriptoris animus,
tum ipsum scribendi genus præditum esse
debet, scilicet *integritatem sermonis,
nobilitatem, prudentiam, & simplicitatem.*
De prima dote jam abunde dictum, *Cap.
III.*

III. num. XXIII. Nobilitas est character Historici, quem meminisse oportet, quod toti mundo, & non uni tantum, sed longe pluribus seculis scribat, & veluti loquatur Regibus, Principibus, Grandibus, doctis & eruditis variarum nationum & ætatum, atque ut ita dicam, præceptorem agat totius generis humani. Hanc autem nobilitatem adsequetur, primum si adsuescat nonnisi magnas animo concipere ideas de illis, quæ narranda judicandaque occurrunt: dein si humilem dictionem, nimisque familiarem deponat, ut respondeat dignitati rerum dignitas sermonis, quo illas exprimit: demum si studeat per selectionem verborum pondus addere cogitationibus, & vim quandam ac fortitudinem narrationi, solícite investigando promendoque, quidquid characterem granditatis imprimere potest rebus dicendis. Paucis hanc dotem complectitur, dum (i) ad eloquentiam in historico requirit, *ut sit magna, non nimia, sublimis non abrupta, fortis non temeraria, severa non turgida*, verbo, ut sit nobilis, non plebeia. Hac virtute historica inter Græcos Thucydides, inter Latinos Titus Livius eminuit, qui fere soli pares fuerunt sustinendæ æquabilitatis inge-

(i) Lib. 12. c. 10.

144 *Cap. IV. Inform. de scribenda,*
ingenium inter & stilum, quin ullibi in
mediocritatem aut humile quid inciderint.
Prudentia, quæ tertia dos est, in eo con-
sistit, ut intra limites materiæ ita se con-
tineat, quin a scopo sibi præfixo usquam
aberreret, aut velut in via se se detineat
haud necessariis nec utilibus digressioni-
bus: ut res exponat cum quodam sapien-
tiæ fulgore, retinendo imaginationis ac
ingenii impetus, & dissimulando artem,
ubi ea maxime utitur. Nam ut ait Fabius
(k) *Cura magna sentiendi & loquendi,*
sed dissimulatio curæ præcipua: ut omne
quod superfluit in adverbis & epithetis,
quibus res sæpissime vel minuuntur, vel
augentur supra modum & meritum, ge-
nerose abscindat, etsi bona & pulchra vi-
deantur; similia enim quantum splendoris
tribuunt, tantum de soliditate detrahunt.
Delectus verborum habendus, inquit idem
Fabius (l) *& pondera singulorum exami-*
nanda: ut libertatem sentiendi relinquat
lector, nec eum speciosis argumentis vel
judiciis propriis tota vi in suam senten-
tiam pertrahere velle videatur: ut nihil
adferat, quo alio in loco sibi contradicat,
sed verisimilitudini in omnibus studeat:
ut denique res magnas, lateque paten-
tes, quantum fieri potest, paucis expli-
cet,

(k) *Lib. 9. c. 4.* (l) *Lib. 10. c. 2.*

cet, quemadmodum Sallustius consilia inicit, pugnas committit, regna subjugat mira & sermonis celeritate & energia expressionum. Tacitus quoque hac in re admiratione dignus est, quin & Livius, qui quantum in narratione abundare videtur, tantum in sensu cum judicio brevis & pressus esse deprehenditur. Excellit non minus hac in dote Mariana, cujus historia, qua res Hispaniæ universas complexus est, profecto dici potest ad posterioris ævi gloriam, & veteris invidiam esse composita. Quarta dos est simplicitas, quæ adesse censetur, quando e tota narrationis serie, e structura partium, atque ex stilo elucet naturalis quædam sinceritas & candor animi a malis adfectionibus, a præjudicatis opinionibus, a fucis faciendo alieni. Hæc ornatum admittit velut sponte venientem, non sollicitè quærit: judicia rebus conformat, non suo ingenio vel imaginationi: quod rectum, non incurvat, quod exiguum aut mediocre, non extollit, quod vitiosum, non dissimulat vel excusat, ita ut res gestæ sicut in lucidissimo speculo, eoque plano, non concavo vel convexo, appareant. Atque hujus simplicitatis plerumque comes individua est veritas. Nam ut eleganter advertit Canus (m): *Mibi sanè*

(m) *Lib. IX. c. 6.*

ali-

146 Cap. IV. *Inform. de scribenda,*
aliquando & verum ipsum in scribentis
sinceritate candoreque elucet, & menda-
cium contra auctoris quidam angor & cal-
liditas patefacit. His tantorum virorum
Halicarnassei, Lipsii, Rapini de scribenda
historia institutionibus appendicis loco
addendum videtur alterius æque eximii
auctoris iudicium, scilicet Antonii Posse-
vini Soc. Jesu. Hic recte sapere illos do-
cet, qui in condenda historia, præsertim
universali, a brevissimis chronicis seu
chronologiis inchoandum esse suadent:
Primo quidem, quia apud quos ratio
temporum non cohæret, apud hos nec
veritatis nec historicæ fidei ratio ulla po-
test constare. Etenim ignorata rerum
origine atque progressu certum est, men-
tem ceu navim hac illac fluctuantem, &
scopulis illisam aut naufragium pati, aut
ad portum veritatis ægerrime, ac non-
nisi aliquando casu appellere. Deinde,
quoniam eadem chronologiæ tanquam
exemplar aliquod atque idea sese legen-
tium oculis offerunt, ut ad earum par-
tes queat aptari, quidquid deinceps vel
fufius de gestis ab orbe condito, vel de
singulis quibusque provinciis, aut Imperiis,
Regnis, Rebuspublicis, Dynastiis &c. scri-
ptum est. Quæ duæ causæ fuerunt, cur
tantopere suaderent antiqui, & horum
po

posterì, ut certam chronologiam sive
chronographiam tenerent.

§. II.

Observanda in lectione historiæ.

XXIX.

Non omnibus datum est adire Corin-
thum, nec omnibus scribere histo-
riam: longe plures sunt, qui vel tempo-
ris fallendi causa, vel præclaris majo-
rum exemplis mores & animum infor-
mandi studio Historicorum lectioni se se
addicunt. Et hi opus habent præceptio-
nibus ad ejusmodi lectionem utiliter &
cum fructu instituendam, ne certa me-
thodo destituti post multas longasque
circuitiones oleum & operam perdant.
Primum, quod hoc in negotio monen-
dum occurrit, est, ne qui ad exactam
historiæ notitiam aspirant, quamdiu sunt
Candidati hujus artis, ne inquam per
vasta scriptorum volumina evagentur:
Sufficit his, si rudem quamdam universæ
historiæ ideam initio sibi forment vel pro-
prio Marte, vel alieno ductu, præcipua
duntaxat rerum in orbe gallarum capita,
in suas divisa epochas & chronologicis
notis rite distincta complectentem; quem-

admodum Geographiæ tyroni, si totum terrarum orbem in celebriores solummodo partes distributum oculis in exigua charta subjiciat, antequam insigniores provincias & latissima regna amplioribus in Tabulis designata percurrat. Hac enim ratione fiet, ut quæ post sedulo exactum hoc tyrocinium legerint, ut ut multa & varia, ea omnia continuo suum ad locum, tempus, & seriem levi brachio revocare queant, qua re nihil seu ad memoriam perficiendam, seu ad studium rite ordinandum magis conducit. Tum jacto veluti fundamento ulterius progredi & licebit, & oportebit ad delectum inter scriptores faciendum, cui primum, cui postea legendo dare operam velint, ut pleniorē hauriant notitiā etiam rerum singularium ad universam historiam pertinentium, qui delectus eo majore cura est instituendus, quo magis discendi tempus breve est ac fugax, ne in supervacaneis, & non raro noxiis quoque consumatur. Demum non contenti legisse multa, & memoriæ mandasse, assuefaciant se etiam formando justo super ea judicio, & percipiēdo exinde quam fieri potest maximo sive ad ingenium acuendum, sive ad mores excolendos emolumento. Et quoniam sine auctoritate nihil hac in re dicere de-

cre-

crevi, Justum Lipsium produco, qui Nobilem Adolescentem Nicolaum Hacquevillium in addiscenda historia ita instruit (n). Ecce compendium compendii.

Primo dividit historiam in *Naturalem*, & *Narrativam* (cujus vocis parum latinæ veniam petit auctor). Prior est illa, quæ naturæ faciem & facta revelat, id est, rerum, stirpium, animalium ingenia, proprietates, vires tradit. Hujus monumenta nobis reliquerunt Aristoteles, Theophrastus, Ælianus, Plinius, aliique quos ævum nobis subduxit. Posterior quæ res gestas actionesque prodit sive sacras sive profanas. Atque hinc ob duplicem hanc materiem duplex est, scilicet *Divina* & *Humana*: illa quæ Religionem, aut quod adhæret, tangit: hæc quæ res plurimum actionesque humanas. Quodsi humana singulorum res, vitam, virtutes, vitia recenset, *Privata*, si res publice gestas cum plurium commodo vel damno, *Publica* dicitur. Naturalis historia scientiam: Narrativa divina religionem: humana prudentiam docet.

Secundo facta hac divisione ac prætermissa Naturali ad Narrativam, utpote quæ proprie historia est, & hoc nomine venit,

pro-

(n) *Centur. 3. Miscell. epist. 61.*

progreditur. Huic præmittendam esse monet Geographiam & Chronologiam: illam ut locorum, regionum, fluminum, urbium &c. notitia aliqua, communis duntaxat, nec adeo exacta comparetur: hanc ut temporum, quibus quæque res gestæ sunt, ac periodorum. Porro Divina alia est vetus seu *Judaica*, quam e libris sacris haurire licet: alia nova & *Christiana*, quam olim Eusebius & Sozomenus, nunc summa diligentia Cæsar Baronius pertractat. Est & *Miscella* religionis historia, ut Mahumetanæ, Sinensis, Indicæ, quæ magnam orbis partem a multis jam seculis obtinent.

Tertio, a divina ad humanam pergat Auctor, eamque primo in publicam & privatam, uti dictum est, partitur: publicam vero, de qua præcipue agitur, in *Orientalem, Græcam, Romanam & Barbaram*. Prima res prisca orbis habet, & Judæorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Syrorum, Persarum, reliquæque Asiæ memoranda, & nobiliores eventus sistit, petique potest a Justino breviter, uberius ab Herodoto, Diodoro Siculo, Polybio, Plutarcho, Zonara, aliisque. Altera Græcam, in qua Spartanorum, Atheniensium, Thebanorum, præcipue Macedonum gesta e Thucydide, Plutarcho, Arriano, & Q. Cur-
tio

tio intelligi possunt. Tertia Romana, in qua miram eventuum & facinorum insignium ubertatem est reperire, a pluribus scriptoribus illustratam. Nam *Græci præceptis valent*, ait quispiam, *Romani exemplis*. Hæc ipsa trifariam dividitur: in Veterem, Mediam, & Novam. Vetus a Regibus & Urbe condita extendit se ad Augustum usque, numeratque scriptores Græcos & Latinos: Dionysium Halicarnasseum, T. Livium, Polybium, Plutarchum, Appianum, Compendia Velleii, Flori, Eutropii, Orosii, & Fastos Romanos a Carolo Sigonio editos: Media immutatum Reipublicæ Statum, ac dominantem Principatum complectitur, gaudetque scriptoribus Latinis: Tacito, Suetonio, Ammiano, Spartiano. Græcis: Dione Cassio, Zonara, Herodiano, Sex. Aurelio Victore, Eutropio, Onuphrio Panvinio, fastos ab Augusto ad Justinianum industrie adornantibus: Nova denique reliquum tempus usque ad Sedem Imperatoriam Byzantium translata continet, cujus scriptores fere Græci sunt: Zonaras, Zosimus, Procopius, Agathias, Nicetas Choniates, Nicephorus, Gregoras, Michael Glycas &c. Quarta historia est Barbarica, quando scisso fractoque Imperio major pars ad Gallos, Germanos, Turcas

ivit, & alternatim hucusque mansit. Nam Gothi, Hunni, Vandali, Scythæ, aliæque nationum fæx heic non includuntur, sed partim in Media, partim in Nova Romana inserti leguntur. Hujus autem historiæ scriptores sunt vere barbari ipsi, quique barbare scripserunt, tum Germanici, tum Gallici, tum Britanici, in unum corpus non ita pridem collecti: Pithæus in Annalibus, Carolus Sigonius de regno Italiæ, Leonclavius, & Chalcondylas de rebus Turcicis & Græcis, Guilielmus Tyrius aliique de transmarinis insulis.

Quarto, exclamat heic Lipsius: Hem! quanta materia, & quæ sylvæ! quæririque, quis ingredietur sine errore, & egredietur? Respondetque, qui ordine insistet, qui industriam & curam adferet. Ordine inquam imprimis opus, & ne confusa & vaga lectio sit, aut desultoria & interrupta. Hoc plerisque evenit, & velut ex equo in equum se trajiciunt, ab hoc scriptore in alium, ab isto argumento in illud. Quo fructu? momentaneæ voluptatis, & ut tempus suum, immo & se fallant. Atque hujus ordinis exemplum profert Auctor, quod sequitur: Ecce Romam veterem, ait, legere decrevi. Ordinar ab universali aliqua notitia, & compendium Flori aut Eutropii præmittam.

Tum

Tum a capite, & ab ipso Livio: cui Dionysium adjungam & Polybium, Plutarchum & Appianum: sed quemque in consimili argumento. Quum hunc locum peregero, ad Mediam Novamque veniam, & constantia eadem peragrabo. Et de ordine facile est, atque animi tantum decreto opus: Cura plus habet operæ, & in ea est omnis legentium fructus. Duo in hac specto, sive exigo: Attentionem & Electionem. Quum legis, non suspensum aut attonitum te habeat tantum novitas aut magnitudo eventuum: insiste, inquire, cui rei hoc facere possit, & equem usum sui præbere. Mora heic aliqua inter legendum, & tarditas requiritur, fateor: sed nimirum, quæ veteri dicto consonet: Nulla res potest esse eadem, festinata simul & examinata: nec esse quidquam omnium, quod habeat laudem diligentia, simul & gratiam celeritatis. Tarda igitur, & quære: quum reperisti, tum sit Electio, id est, ut stilum capias & excerpas, & velut annonam in horrea quædam reponas.

Quinto, tum pergit Auctor distinctam dare noticiam de Adversariis seu libellis, in quæ memoria gratia referantur ea, quæ notatu digna videntur. Jam ante, inquit, libri sint parati, meo judicio

quatuor, in quos, quidquid eligis, con-
 feras & tuto deponas. Libri autem isti
 totidem titulos habeant rerum, quas præ-
 cipue in historiis notes: *Memorabilium,*
Ritualium, Civilium, Moralium. Per
 memorabilia designo res magnas, & cum
 admiratione aut motu legendas sive au-
 diendas, ut est notabilis potentia alicujus
 Regis aut populi, Opera, vel Opes, Pro-
 digia, & novi aut insoliti eventus, uno
 verbo, quidquid non obvium, & magnitu-
 dine vel raritate se commendat. Per Ri-
 tualia, quæ pertinent ad instituta ritus-
 que veteres, sive quos in publico, sive
 in privato usurpabant, & ab ea notitia
 serua omnis intelligentia dependet veterum
 Scriptorum. Tales autem sunt singulari
 titulo singuli in adversariis adnotandi:
 sunt inquam vel sacri, ut Dii, eorumque
 nomina, insignia, munia, cultus & tem-
 pla, sacerdotes, sacrificia, ceremoniæ,
 verba solemnia, seu formulæ precatio-
 num &c. vel profani, ut Magistratus,
 militia, provinciæ, præfecturæ, officia,
 leges, judicia, nuptiæ, funera, balnea,
 convivia, vestes, numi &c. Per Ci-
 vilia, quæ ad vitam & regimen commune
 faciunt, ut status Regum, Optimatum,
 populi, ubi non solum sententiæ, sed et-
 iam exempla notatu dignissima occurrunt.

Per

Per Moralia, quæ privatim ad nos & vitam formandam conducunt, virtutibus amicam, a vitiis alienam, ut affectus & cupidinum stirpes, spes, metus, gaudium, dolor, moderatio adfectionum, quas passiones vocant, vita beata, regulæ prudentiæ, ars regendi, & quidquid in Ethicis sedem suam habet.

Quinto, denique concludit informationem suam historicam Juveni Nobili datam Lipsius his verbis, & stilo, ut solet, *Laconico*: „ Quid est? tam varia, tam multa? inquires. Nihil est, immo incredibile, quam cito hæc suscipiantur, & fiant, si tenor & constantia sit, & quisque dies opus suum probet. Trienii res: non diu te differo: mihi si olim talis monitor, vel citius absolvisssem. Cogita te in ipso flore ævi, & corpus labori, animum intentioni ferendæ esse: quid cessamus:

Dum res, Et ætas, Et sororum

Fila trium patiuntur atra.

Hæc de ratione legendi historiam universe.



XXX.

Jam ut de variis classibus Lectorum singillatim, sed paucis differam, eorum quatuor sunt: Aliqui qui Politicum amant, & in pretio habent, iisque inhiant historiis

riis legendis, quæ præcepta, consilia, & gubernationem politicam tangunt. Sunt alii, qui ex Historicorum lectione in militari disciplina erudiri vehementer desiderant. In utraque hac classe non defuerunt olim magni Principes ac Belliduces, quibus hoc informationis genus plurimum profuit, quique magnam seu in re politica, seu in arte militari famam sibi compararunt. Porro sunt quidam, qui absque certo ordine aut methodo diversis historiis, velut bona fortuna obviam sibi factis delectantur, & ubique eruditionis aliquid instar apum colligunt, atque comportant in doctrinæ suæ alvearia, Polyhistores dicti. Demum sunt, qui vel Universæ historiæ, vel certe Græcæ aut Romanæ, vel utriusque magno tenentur desiderio. Ad primam classem quod attinet, poterunt illi complura principia, & insignia facta Politica invenire in Polybio, Thucydide, Plutarcho, Sallustio, ac Curtio, quem postremum Lipsius e Principum manibus nunquam dimittendum asserit: & e recentioribus, in Mariana & Wagnero, qui egregiis quæ dant documentis, Republicæ rite administrandæ plurimam lucem adferunt: in Tacito tamen non pauci corruptos Politicæ fontes erimantur, e quibus Machiavellus, Scipio

pio Amiratus, aliique Pseudo-Politicorum venenata dogmata sua hausisse videntur. Alterius classis hominibus militarium artium studiosis adprime serviet lectio ejusdem Polybii, e cujus bellica disciplina Scipio Carthaginis & Numantiae everſæ fama celeberrimus prodiit: item Thucydidis ac Xenophontis, de quibus dubium est, an calamo vel gladio, quem ipsi bellicis expeditionibus præſentes strinxere, magis inclaruerint, tam boni scriptores quam milites: non minus Julii Cæsaris, Quincti Curtii, Famiani Stradæ & Wagneri, celebrium prioris & hujus ævi Historicorum Polemicorum. Illis, qui tertia in classe sunt, magnam subministrabunt eruditionem simul & oblectationem e Græcis Herodotus, Diodorus Siculus, Plutarchus, Diogenes Laertius &c. e Latinis Livius, Sallustius, Cornelius Nepos, Mariana, Maffei, qui & rebus, quas narrant, & stilo, quo scribunt, plurimum se commendant. Qui quartam classem constituunt, Historiæ universæ e Diodoro Siculo, Justino, Ottone Frisingensi, Gilberto Genebrardo, Brietio, Turfellino &c. Græcæ vero ac Romanæ ex Herodoto, Plutarcho, Xenophonte, Livio, Sallustio, Floro, Photio &c. notitiam omnino copiosam sibi poterunt comparare.

CAPUT



CAPUT V.
HISTORIA SACRA.

§. I.

Studium Sacræ Historiæ.

XXXI.

Peculiarem sibi locum ac pertractationem jure poscit Historia, quam sacram nuncupamus. Inest enim huic character quidam proprius, ac longe diversus ab iis, quibus aliæ quæcunque historiæ insignitæ sunt, characteribus. Nam sublimior est cunctis, & divinum quid præferret, siquidem dum profanæ reliquæ nonnisi rerum ab hominibus gestarum curam habent, & eventus nobis narrant mundi hujus vanitate plenos, sæpe incertos, & sublestæ fidei, aut omnino figmentis adnumerandos, hæc sacra agit de Deo O. M. rerum omnium Auctore ac Principio, manifestat illius perfectiones infinitas, Potentiam, Sapientiam, Providentiam, Justitiam &c. & quamvis istæ nullo sensu a nobis percipi queant, tamen eas facit sensibus obnoxias per tot effecta &

& opera sane stupenda, quæ mille modis & maximo cum splendore se produnt in hac mundanarum rerum universitate. Est enim mundus liber ingens & antiquissimus, in quo mirabilia omnia quasi digito descripsit Deus, & e quo singula quæ complectitur, velut exscribit Sacra Historia; neve unquam hominum animis excidant, literis & figuris expressa ad omnem posteritatem transmittit. Quid sublimius, quam vel ipsum Sacræ Historiæ Veteris Testamenti exordium, in quo tribus verbis: *In Principio creavit Deus cælum & terram* unum esse Deum, hunc ante omnia fuisse, atque ita æternum; ipsius opus esse mundum e nihilo formatum luculenter docemur? Quid admirabilius, quam simile Proœmium ejusdem Historiæ Novi Testamenti, quod D. Joannes conscripsit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. . . . & Verbum caro factum est*, ubi paucis æterna Christi secundum divinitatem, & temporalis secundum humanitatem generatio, ac eadem Filii Dei cum Patre essentia magnificis sane verbis exprimitur. Præmissis hujusmodi exordiis ad mundi fabricam progreditur, & diviso in sex dies labore grande hoc Divinæ Potentiæ opus dilucide explicat,
nem-

nempe natales mundi, e primo chao seu materia e quatuor elementis composita surgentis, atque e tenebris, quibus sepultus jacebat, in lucem educti: divisionem elementorum, congregationem aquarum; Solis, Lunæ cæterorumque siderum suspensas in cœlo faces, fœcundatam a Deo terram, herbas, flores, plantas, arbores, omnisque generis animalia, seu quæ aerem, seu quæ aquam, seu quæ tellurem inhabitant, mira varietate procreantem. Tum de creatione ipsius hominis agit, propter quem mundus creatus est, exhibetque nobis egredientem de manu Dei Conditoris sui, quæ corpus e limo formavit, ut homo infirmitatis suæ meminisset, animam vero e nihilo creavit ad imaginem & similitudinem suam, ut divinitatis quandam quasi particulam esse se intelligeret, utpote merum spiritum, intellectu & voluntate præditum, ac immortalem: utrumque autem, scilicet corpus & animam hominis tam arcto fœdere conjunxit, ut eodem sub tecto viventes nonnisi morte ad tempus separari queant. Porro naturæ humanæ tum integræ tum lapsæ statum depingit, nimirum felicem hominis creati, & in paradiso collocati conditionem, ubi innocentiae ac justitiae stola

la ornatus summa pace ac omni voluptate fruebatur, & animalium & adfectionum suarum Dominus: At mutata mox scena tristem lapsum repræsentat, qui pravatum cupiditatum seditionem, famem, pestem, bella, morbos, omne calamitatum genus, ipsamque mortem temporalem primi hominis totiusque posteritatis post se traxit, tracturus etiam æternam, si non ineffabili consilio ipse Dei Filius e sinu Patris in terras descendere, ac carnem humanam indutus pro reo genere humano divinæ justitiæ satisfacere, seque victimam offerre decrevisset, id quod tot Patriarcharum oraculis, tot Prophetarum prædictionibus, totque hominum justorum figuris ac symbolis humano generi ad usque ipsum Messiæ adventum in terras annunciatum fuit. Præterea eventus nobis narrat omnem humanam fidem excedentes, si non divino testimonio forent confirmati: vindices aquas totum orbem inundantes, subductas exitio humani generis reliquias in arca Noemica: Turrim Babel, linguasque gentium confusas: incendium Sodomæ, aliarumque civitatum, & uxorem Loth in statuam salis conversam: Abrahamum a Deo jussu immolare filium suum: Josephi mirabilia fata, & innocentie triumphum: Mosis, populique sicco pede tran-

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. V. L. situm

situm per mare rubrum, ac demersum
 Pharaonem: Israelitarum iter per deser-
 tum tot prodigiis illustre: Judicum, ut
 Josue, Gedeonis, Samsonis, Samuelis &c.
 facta naturæ viribus majora: Jobi patien-
 tiam coronatam, Amani fastum depressum,
 Tobix senioris & junioris pietatem, Ju-
 dithæ de Holoferne triumphum: Regni
 Israelitici initia & fata: Davidis cum Go-
 liatho certamen, Absolonis interitum,
 Salomonis sapientiam & Judicium: Tem-
 pli Solymæi structuram: regni divisio-
 nem: Prophetarum Eliæ & Elisæi, Jonæ
 aliorumque patrata miracula: septuagin-
 ta annorum captivitatem: Danielis vati-
 cinia de quatuor Monarchiis: Nabucho-
 donosoris in bestiam metamorphosin: An-
 tiochi tyrannidem: Machabæorum forti-
 tudinem. A Veteri Testamento ad No-
 vum progreditur Sacra Historia, in eo-
 que proponit grande mysterium Verbi
 caro facti, ac virgineos natales: Christi
 vitam sanctitate ac prodigiis plenam:
 mortis quam in cruce obiit, ignominiam:
 resurgentis ac cœlum conscendentis glo-
 riam: Apostolorum labores, & Evange-
 lii per totum mundum promulgationem,
 totque inter insidias, tormenta, & ty-
 rannorum sæviciem felicissimam propaga-
 tionem. Demum exhibet Christi regnum, hu-

hujus sanguine ac morte fundatum, sanctissimis legibus & miraculis stabilitum, ac perpetuo duraturum, quod est Ecclesia, quam inchoavit in terris, & aliquando transferet in cœlum, tanquam locum suæ originis & habitationis æternæ, ut ait Apostolus (o). En! Synopsin Sacræ Historiæ.

XXXII.

Jam verò nihil simile exponunt nobis aliæ, quas tam avide legimus, historiæ: sed si Fabulosam consulimus, ea Deam Cybelen falsorum Deorum matrem, Jovem cœli terræque Dœminum, Neptunum maris, Plutonem inferorum Regem, aliosque inter silvas & quercus natos, nec sine deabus vivere assuetos Deastros, ut vocant, nobis repræsentat, divisio, quod uni debetur, in plurimos mundi regimine: Multa fabulatur de primo chao, de Prometheo, quem primum refert finxisse ex luto simulacra, quæ postmodum furto ablata e sole flamma animaverit: de Deucalionis diluvio, & natis e lapidum acervo hominibus: de Gignantibus Terræ ac Titanis filiis, qui congestis montibus ad cœlum usque penetrarunt, ut

Jo-

(o) 1. Cor. 15.

Jovem inde deturbarent, deque aliis similibus insanientis phantasiæ commentis, quibus sacram historiam in fabulam migrare jusserunt. Si magis veracem lustremus Historiam seu Græcæ Romanæque Reipublicæ, seu quatuor Monarchiarum, quid inveniemus, nisi pauca quædam simulacra virtutum, & mille vitiorum monstra? In Græcia quidem Poetas mendacissimos, ac veritatem innumeris fabulis polluentes: Sophos superbia turgidos, & pravis cupiditatibus honestatis larvam obducentes: Legislatores æquis iniqua miscentes, ac tyrannico regimini aperte satis faventes: in Romana Republica homines primum latrociniis deditos, qui ne quidquam iniqui regno suo deesset, etiam Virgines e Sabinis rapuerunt, futuras sibi uxores: tum illata vi vicinos agros depopulantes: demum junctis fœderibus, immisissisque coloniis per fas & nefas totum pene orbem sibi subjugantes. Heroica ipsorum facta nil nisi vanæ gloriæ trophæa, & simulatæ æquitatis umbræ fuerunt. In Monarchiis vix aliud reperire est, quam dominandi libidinem, & crudelitatem in Regibus, in Dynastis luxum & molliem, in subditis omne genus fraudum, moresque densa barbarie oblitos.

Nihil autem magis elucet e Sacra Historia, quam grandis illa & admirabilis cura supremi Numinis, quam veræ Ecclesiæ formandæ, conservandæ, ac propagandæ omnibus seculis adhibuit. Adamo & Patriarchis vivam fidem inspiravit in Jesum Christum, Messiam venturum, utpote sine qua nec in veteri Testamento æterna salus obtineri poterat. Noemi familiam diluvio subtraxit, ut per has humani generis reliquias religio propagaretur: Prophetis & suo & Angelorum ore Religionis mysteria sacratissima, arcanaque consilia revelavit, ut ea Regibus & populis palam annunciarent: ipsemet Deus Mosi non solum legis tabulas seu Decalogum consignavit, sed etiam sacrificia, & ritus, totamque Templi Solymæi fabricam, sacram suppellectilem, festa & ceremonias Salomoni dictavit, & tot prodigiis sibi populum electum formavit. Hæc in Lege Veteri: in Nova remotis umbris & figuris, dispersisque tenebris clarissima *lux in mundum venit, illuminans omnem hominem* Christus Jesus Dei Filius. Hic abrogatis Testamenti antiqui legibus aliam religionem, aliamque Ecclesiam instituit, quam doctrina longe sublimiore, & sanctiore, omnemque mundi sapientiam supergressa erudit, *infirmam mundi eligens, ut confunde-*

ret fortia: quam sudore, quin & sanguine suo copiose irrigavit, futuram tot Sanctorum, tot Virginum, tot Martyrum matrem fecundissimam: quam innumeris prodigiis & gratiis illustravit, ubique *pertransiens benefaciendo & sanando omnes*: cui summa fidei mysteria revelavit obscuris antea signis & symbolis involuta, & sacramentorum a se institutorum dispensationem commisit: quam denique perpetua succedentium sibi Rectorum serie in D. Petro tanquam firmissima petra stabilivit, ad finem usque mundi duraturam, adversus quam *nec portæ inferi prævalebunt*. Hæc & plura clare simul & splendide nobis narrat Sacra Historia. Quid vero profana? Superstitionibus, idololatricis ceremoniis, impiis sacris recensendis intenta est: Sapientum inanem & fastuosam doctrinam jactitat: fallacia Politices dogmata vendit: hæreticorum errores & improbas sectas recenset: fœdera violata, cruenta bella, stupra, adulteria, & tragica funera commemorat, & si quid jucundi adfert, tota est immerisa mundi deliciis atque illecebris; de religione, de rebus supra naturam positis, de Deo & ultimo fine hominis, ac beatitate æterna parum vel nihil sollicita. Patet igitur sacræ historiæ sublimis character, cui parem, quove
ma-

majorem nulla alia nec eminus nec cominus ostentare potest. Præter hæc & illa gaudet prærogativa, quæ historiæ præcipua est, scilicet veritate, & quidem æterna, cujus auctoritati innititur, eaque narrat, quæ Spiritu Sancto vel dictante vel adstante a sacris Deo hominibus, a Prophetis, Apostolis & Evangelistis tradita fuerunt, ita ut nulli fabulæ, aut mendacio, ne quidem dubio alicui locus esse possit, dum contra aliæ historiæ humana duntaxat fide tueri se possunt, non raro etiam commentis scriptorum, falsis aut incertis rumoribus, & male cohærentibus judiciis obnoxie sunt. Quam male itaque agitur præsertim cum juventute, si eam sinamus ignorare talem, tantumque thesaurum, qualis est notitia Sacræ Historiæ, quæ & sua antiquitate, & magnitudine ac varietate factorum, & arctissimo fœdere, quod illi cum religione nostra intercedit, se se commendat? Quapropter a longiore jam tempore Societas Jesu morem in Gymnasia sua introduxit, ut primo statim anno cum linguæ latinæ elementis Sacra quoque Historia, quantum fert ætas illa, e libello typis impresso addiscenda præbeatur, proposito etiam in communi certamine victori præmio.



§. II.

Observationes ad Historiam sacram.

XXXIII.

Ut autem nobile hoc studium majore cum utilitate ac fructu peragatur, visum est addendas quasdam esse observationes, quibus illud mirifice illustratur. *In primis* neutiquam eo ad id consilio accedendum est, ut mens curiosa mirabilibus, quæ occurrunt, factis & eventibus pascatur, aut memoria duntaxat in rerum illarum serie percipienda excolatur, sed ut animus se diligenter reflectat tum ad ea, quæ ad religionem, tum ad illa, quæ ad mores pertinent: Neque solum intelligere oportet, sed etiam investigandus est sensus & spiritus, qui latet, mysteria & facta veteris Testamenti comparando cum illis, quæ in Novo continentur. Sic ex obedientia Abrahami, filium Isaac jam jam immolantis, ratio per fidem elevata nos deducit ad agnoscendam immensam Dei Patris in nos homines charitatem, qua filium suum unicum pro salute nostra victimam dedit: sic serpens æneus a Mose in deserto e crucis trabe suspensus, ut plagas populi sanaret, repræsentat nobis mortem, quam ad nos redimendos a sty-
gii

gii serpentis morſu, peccato nimirum originis, quin & pro totius mundi peccatis optimus Servator obiit: Sic in Jonæ fato, qui tribus diebus in ceti ventre ſepultus jacuit, tum vero vivus ex illo prodiit, Chriſti ſepul-
 ti ac triduo exacto glorioſe reſurgentis my-
 rium edocemur. *Alterum* eſt, ut bonus ordo & methodus tum in legendo, tum in docendo obſervetur. Nimirum probe diſtingui debent facta, & perſonæ, tempora & loca, ad quod plurimum confe-
 runt duo illi hiftoriæ oculi Chronologia & Geographia. Multi ſacram hiftoriam in ſeptem mundi ætates diſtribuunt, quarum primæ titulum imponunt *Creatio*, ſecundæ *Diluvium*, tertiæ *Vocatio Abrahæ*, quartæ *Lex ſcripta ſub Moſe*, quintæ *Templum Salomonis*, ſextæ *Cyrus ſeu populus Dei e Babylonica captivitate in libertatem reſtitutus*, ſeptimæ *Lex gratiæ*, ſeu nſcens Chriſti Eccleſia. Primæ ætati tribuunt annos 1656. ſecundæ 426. tertiæ 430. quartæ 500. quintæ 474. ſextæ 538. ſeptimæ annos 312. uſque ad Conſtantinum M. Alii diſtinctius eandem hiftoriam dividunt in Epochas novem, quarum primam ducunt a condito orbe ad Diluvium; ſecundam a Diluvio ad Abrahamum; tertiam ab Abrahamo ad Moſen, & egreſſum ex Ægypto: quartam a Moſe

& Exodo usque ad Josue & Judices: quintam a Josue ad David Regem: sextam a Davide ad divisionem regni Israelitici sub Roboamo & Jeroboamo: septimam ab his usque ad captivitatem babylonicam: octavam a solutione hujus captivitatis ad Christi adventum: nonam ab hoc usque ad pacem nascenti Ecclesiæ post innumeras Tyrannorum vexationes, & effusum tot Martyrum sanguinem per Constantinum M. redditam. *Tertio* loco observandæ sunt sedulo, notandæque consuetudines & usus peculiare populi Dei, quantum adinet ad sacra, ad leges, ad regiminis formam, ad judicia, ad bella, ad vivendi methodum. In his enim ubique latet aliquid tum eruditionis tum imitationis. *Quarto* animadvertere oportet ad characteres Judæorum, qui ut plurimum fuerunt homines carnis operibus valde obnoxii, bonis duntaxat præsentibus inhiantes, præfidentes in exteriori legum custodia, parum de interiore animi cultu solliciti, duræ cervicis, ac toties contra Deum Dei-que Administros rebelles, quorum depravatæ indoli & ipsum Numen tum leges, quibus si obtemperarent terrestria bona promisit, tum pœnas, quibus non raro severissime contumaces castigabat, accommodavit. *Quinto* licet observare morem, quem

quem in narrando tenet S. Scriptura plane admirandum. Nam grandia virtutum exempla, quæ inibi reperiuntur, suis vestita circumstantiis & ampla eloquentia explicat, quemadmodum in Penteteucho Patriarcharum egregia facta, in libro primo Regum historiam Samuelis, in secundo Davidis, in tertio & quarto Salomonis, Josaphati, Ezechix, Eliæ, Elisæi, Isaïæ &c. in reliquis Jobi, Tobix, Judithæ, Machabæorum &c. contra vero paucissimis & velut aliud agendo refert potentiam, divitias, dominationem, & facta Principum & Dynastarum, uti videre est, quando de Nembrod mentio incidit, qui duas amplissimas & potentissimas civitates exstruxit, Niniven ac Babylonem, fundavitque tam grande Imperium, quale unquam orbis terrarum aspexit. Eadem res est de reliquis Monarchiis & Monarchis Dario, Alexandro, Cyro, Augusto &c. hæc omnia brevissime, & velut fugiente calamo describuntur, nimirum ut doceat nos, quam exigua tenuiaque sint in Dei conspectu, quæ in oculis hominum tam grandia adparent, ac nullius fere pretii esse, quæ pro terrena felicitate fiunt, in comparatione illorum, quæ pro cælo, pro Religione, pro æterna beatitudine geruntur.

XXXIV.

Sexta observatio versatur circa exempla virtutum, ac vitiorum, quæ omni hominum statui accommodata quamplurima subministrat sacra historia: *Regibus* in libris Regum, quando agit de Davide, qui erat *vir secundum cor Dei*, de Salomone, de Josaphato &c. *Aulicis* in Josepho, Daniele, Nathan, Gad &c. *Magistratibus & Judicibus* in libris Judicum de Mose, Josue, Gedeone, Samuele &c. *Privatis hominibus* in Tobia, Juditha, Sunamitide &c. *Divitibus* in Abrahamo, Jacobo, Salomone, Booz &c. *Pauperibus* in Jobo & Tobia. *Conjugibus* in Tobia patre ac filio, in Jacobo, Isaaco, Sara, Rebecca, Ruth, Esther. *Sacerdotibus* in Melchisedeço, Aarone, Onia &c. *Militibus* in Josue, Uria &c. *Juvenibus* in Abele, Jonatha, Davide, Josepho &c. *De fidelitate erga Deum* in adversis, in Abrahamo, Isaaco, Josepho, Jobo, Daniele &c. *De venia inimicis data* in Abrahamo erga Lot, in Josepho erga fratres, in Davide erga Saul & Semei. *De innocentia triumphante* in Josepho, in Daniele, in Mardocheo, in Susanna &c. *De penitentia* in Ninivitis, in Davide, in Manasse

naſſe &c. De *Constantia in fide* in Eleazaro, & Fratribus Machabæis &c. De *charitate proximi* in Moſe, in Tobia, in Jonatha &c. De *ſuperbia punita* in Filiis hominum ad Turrim Babel, in Amano, in Goliatho, in Nabuchodonofore, Herode. De *perfidia* in Caino, Achitophele &c. De *oppreſſione pauperum & viduarum* in Achabo, & Jezabele contra Naboth, in Davide contra Uriam & ejus uxorem. De *violata ſanctitate ſacrorum* in Saule, in Oza, in Heliodoro &c. De *Libidine* in Sodomitis, in Davide, in Amnon, in duobus ſenibus Suſannam ſolicitantibus. Sexcenta alia ſacram hiftoriam evolventi occurrent. *Septimo*, præcipuus ſtudii hujus hiftorici fructus eſſe debet cognitio Dei, ejusque perfectionum, quas *Attributa* vocant Theologi. Hæ velut clariffimis characteribus ſcriptæ ubique in ſacra hiftoria elucent: *Unitas, omnipotentia, bonitas, patientia, miſericordia, ſanctitas*, maxime vero *juſtitia & providentia*. Certe Dei juſtitiam clamat Parentum primorum e paradifo triſte exilium, quod tantam, quantam in hanc uſque diem ſentimus, malorum iliadem poſt ſe traxit: vindices cataclyſmi aquæ, quæ paucis exceptis totum genus humanum

num submersere: Sodomæ incendium, quod ad fœdissimæ libidinis flammæ restinguendas fuit immissum: famosæ decem plagæ, quibus Pharaon, qui in malitia sua obduruit, totaque Ægyptus misere vexabantur: pœnæ gravissimæ Hebræo populo murmuranti in deserto inflictæ: ejusdem strages horribilis in ipsâ Terræ promissæ confiniis ob infandum idololatriæ scelus: durissima postmodum captivitas Babylonica, & demum totius gentis exitium, sparsæque per orbem reliquiæ, Nemesis divinæ testes, ob necem Servatori optimo illatam. Dei vero providentiam cernere licet, ubi Noemum cum suis in arca diluvio subtraxit, ne totum genus humanum periret: ubi linguas hominum, exstructa turri velut vim cœlo facientium, confudit, ut hi in totum terrarum orbem se suasque familias dividerent; ubi Josephum a fratribus venditum, in carcerem detrusum, ad regni clavum evexit: ubi populum Israeliticum sicco pede per mare rubrum, & per desertum ignea columna in terram promissam denique transtulit: ubi vix natum Deum-hominem Herodis crudelissimi insidiis ac neci mirabiliter subduxit: ubi crucis ignominiam in Christi & Ecclesiæ triumphum convertit. *Octava* denique & maximi

mo-

momenti observatio, quam in historia sacra meretur, est veræ Religionis eadem semper facies tot inter tempestates, tum ab idololatria tum ab hæresi excitatas. Eadem enim est, sibi que perpetuo constans, quantum ad interiorem fidem spectat. Quippe a prima Mundi origine Adam Deum verum, & Servatorem a Deo sibi promissum credidit: in hac fide ac spe vixerunt ejus posteri a Setho ad Noemum & Abrahamum, & ab hoc ad Mosen & universam Hebræorum Rempublicam, donec Messia in terras adventante & spes impleretur, & fides Evangelica lege multo clarior atque illustrior redderetur. Exterior tamen vultus Religionis varias induxit formas, omnes tamen ad eundem finem, supremi scilicet Numinis agnitionem, cultum, & amorem collineantes. Nam in *lege naturæ*, sub qua vivebant homines ab Adamo ad Abrahamum, vel usque ad Mosen, Deus ab iis præter *oblationes* quasdam aliud non exegit, quam ut natura & gratia duce virtutem colerent, vitia declinarent, sibi que corde recto & sincero servirent. In *lege scripta*, quæ vel ab Abrahamo, cui imperata fuit *circumcisio*, vel a Mose, qui leges a Deo traditas promulgavit, initium

tium duxit, a fideli populo Numen coli voluit Sacramentis aliquot minus perfectis, quorum præcipua fuerunt *circumcisio*, & *undecim panes propositionis* (qui singulis hebdomadibus in tabernaculo recentes coram Arca proponi debebant) atque sacrificiis diversis ex præscripto oblatis. In *lege gratiæ*, quæ cum Messiæ adventu cœpit, abrogatis antiquis nova perfectioraque Sacramenta (quorum figuræ duntaxat priora fuerant) ab ipso Christi Sanguine pretium suum nacta, novæ leges, & sanctioris vitæ præcepta, novi ritus divinum quid spirantes substituta fuerunt, & omni ex parte perfectus Dei cultus est introductus. His observationibus instructus accedat ad sacræ historiæ studium, quisquis in eo dignum labore fructum percipere cupit, præsertim juventus litterata, ut teneris adhuc annis cum lacte doctrinæ Dei timorem, amorem virtutis, vitiorum horrorem, desiderium cœlestis patriæ, religionis grandem ideam æstimationemque imbibat. Nam ausim dicere, si omnis profana abesset historia, nec ulla præter sacram in mundo existeret, eam solam ad hominem probum, eruditum in omni genere, & quod caput est, Christianum rite formandum omnino esse suffecturam.



CAPUT VI.
CRITICA HISTORIÆ.

§. I.

*Querelæ contra libros vulgo Romanos,
aliosque Historicos.*

XXXV.

Nobilissimum esse historiæ studium nemo facile inficiabitur, nisi forte, qui extra humanum consortium vitam degere velit. Est enim apex ignorantia, ultra ætatis suæ ac domus fines quid actum sit, scire nihil, ita ut ambigere liceat, an homines sint, qui nesciunt historiam. Antipodes ignorasse crimen olim haud erat: ignoravit, vel certe dubitavit ipse Magnus Augustinus. At vix ullam vel omnino nullam de orbe terrarum, de regnis & populis, de hominum moribus & factis notitiam habere in tanta luce supellectilis historicæ, qua nunc fruimur, piaculum esse videtur, & satis grande contra ipsam humanitatem peccatum. Verum ea vivimus tempora, quibus ubique fervet hoc studium, &

jam ab ipsis unguiculis tenera juvenus eadem adſueſcit; nec tam conqueri poſſumus, quod libri legentibus, quam quod legentes tot libris deſint. Nihilominus non pauca ſunt, quæ in hac palæſtra virgulam cenſoriam merentur. Inprimis maleferiatos quosdam ſcriptores reperire eſt, qui hoc ignorantix præſtantiffimum antidotum in venenum, hiftoriam in fabulam convertunt, ſcelere eo graviore, quo latius perniciem ſpargit: intelligo ſcriptores & libros, quos vulgo *Romanos* dicimus, in quibus vel veri vel ficti Herois alicujus aut Heroinx mirabilia fata, artesque amatoriæ prætextato ſermone deſcribuntur. Originem ſuam hæc ars nimium quantum illiberalis traxiſſe a Perſis perhibetur. Nam ut Huetius ſcribit, circa mundi annum 3500. Jones a Perſis victoribus fictarum hiftoriarum artem, vulgo *Romanzi*, didicerunt, & inde ad Græcos tranſmiferunt. Atque utinam in Græcia fuiſſet ſepulta, nec in Romanum agrum penetraſſet, maxime inclinantis Reipublicæ tempore, quo diſſolutiſſimos juventutis illius mores invaluiſſe produnt auctores. Certe nomen ipſum neſcio quid Romanum præſefert. Ars hæc eo nocentior eſt, quo magis honeſtæ ac innocuæ ſcriptionis pallio te-

Et in lucem emittitur. Profitetur in fronte morum doctrinam, nobilium spirituum regimen, rationis supra pravas affectiones dominium, juventutis pharum adversus naufragia &c. Sed brevi larvam detrahit, ac sine fronte amores impudicos docet. Varia enarrat pudicitiae pericula, innocentiae scopulos detegit, & Sirenum prodit insidias, non tamen sine ambagibus & curiosis eventibus, per quos avidior semper redditur juvenis lector, & tanquam per lubricas vias ad præcipitium ducitur: ubi demum repente velut sistitur, & dum lapsus jam imminet, de victoria plauditur. Sed qualis hæc obsecro victoria? Tristior omni clade. Depinguntur vivis coloribus pericula cum omnibus, quæ circumstant, verborum blanditiis, oculorum insidiis, desideriorum nunciis, actionum illecebris, ac pene vi extrema: miscentur gemitus & suspiria, funduntur lacrymæ, accusatur invida fors & astrarum inclementia, negans quod concupiscitur. Quid ad hæc juvenis animus? Hærere primum ad res insuetas, tum meditari, mox rimari altius, demum in ipsis ardere periculis, amatoriis magis magisque irretiri nugis, capi lenociniis, verbo, discit ea lector incautus, quæ scriptor, licet effrons, palam pro-

ferre non audet. Ita enervatur mascula virtus, parvus hercules ad colum sedere, ac filum ducere cum gynæceo docetur, & dum malarum cupiditatum victoria promittitur, honestas morum & pudor expugnatur. De Homero ferunt, pulsum fuisse e Platonis republica, esseque visam a Pythagora illius animam apud inferos ex arbore suspensam, & colubris circumdatam ob ea, quæ minus verecunde de Diis finxerat. Si hanc pœnam meruit Poeta inter inhonestos honestissimus, quæ digni erunt historici, qui seu lucri gratia, quod ex iniquitate faciunt, vel propria stimulante libidine, qua & alios inficere cupiunt, secumque perdere, editis ejusmodi Phaëtonicis libris quæstum exercere non erubescunt? Certe non solum e Platonis, sed ex omnibus orbe toto Rebuspublicis tanquam earum pestis pulsari deberent, secus luituri apud inferos damna, quæ tot animabus inferunt.

XXXVI.

Verum relictis hisce Pseudo-Historicis ad alios Criticam transferre juvat, nimirum ad eos, in quibus non raro veritas desideratur, quod multiplici ratione contingere solet, vel ex ignorantia, vel ex partium studio, vel ex potentum metu,

vel

vel demum, quod pessimum, ex malitia. De prioribus historicorum vitiis satis dictum est alibi: monendus tamen historiarum lector de duobus, qui frequenter heic occurrunt, scopulis. Primus est nimia quorundam credendi facilitas, alter quævis in dubium vocandi prava consuetudo. Qui nullo adhibito examine scriptorum monumenta velut oracula excipiunt, & fabulæ aut mendacii suspicionem in eos cadere non posse arbitrantur, vehementer se decipiunt, & gravissimis circa veritatem erroribus obnoxios se reddunt: qui vero cujusvis passim historici fidem in dubium vocant, & hunc spe aut metu, illum propriæ gentis amore, alienæ vero invidia transversum agi criminantur, hi vel e Pyrrhonis secta sunt, eorumque temere conceptum de aliis iudicium amoris proprii infelix partus est. Neque etiam continuo rejicienda sunt vel explodenda, quæ mira narrant scriptores, aut fabellis accensenda, quæ prodigii speciem quandam præferre videntur, id quod optime animadvertit Possevinus noster, maximi apud omnes nominis Auctor, experientia doctus, & suo nos docens exemplo: *Adolescens inquit (p), in Gallia*

Olai

(p) Sect. 2. de Histor.

Olai Magni de Gothicis rebus historiam perlegens quasi somnium esse putabam: in Gothiam & Sueciam post multos annos baud semel missus (nimirum religionis causa a Summis Pontificibus) comperi plura esse vera, quæ existimaveram esse commenta: idem contigit mihi, dum cum Moscis, Tartaris, Scythis agerem. Opus scilicet est hac in re maturo judicio, & ad singula scriptorum vestigia attento, ut verum a falso discernatur. Quemadmodum autem non temere mendacii aut fabulæ postulandi sunt Historici cæteroquin probi & religiosi in reliquis narrationibus suis, si quid supra communem rerum ordinem & conditionem in scriptis suis adferunt, ita non facile fides adhibenda illis, qui incuriosi & oscitantes in veritate indaganda deprehenduntur, & nescio quæ mira de regionibus & populis longe dissitis produnt absque authenticis testimoniis, & de quibus non vanæ suspicio est, eos lucri & quæstus causa historias conscribere. Ita prioribus seculis quidam Angli, Batavi, atque etiam Hispani de Indiis Orientalibus & Occidentalibus plura vix non commenta in libris suis quam merces in navibus, Europæ invexerunt, quæ tamen certioribus postmodum qua literis, qua libris, quos Viri Religiosi, maxime e Societate Jesu, ad prædicand-

dicandum Evangelium eas in oras delati, ibique commorantes in Europam miserunt, detecta, iisque alia non minus mira, quam vera de illis plagis ac gentibus fuerunt substituta. Si quis vero nosse desiderat indicia, quibus spuria historiæ progenies a prole legitima discernatur, primum sit: si recens aliquis scriptor factum vel rem quamdam narret priscis temporibus actam, de qua nemo Auctorum veterum Synchronorum, seu qui eadem ætate vixerunt, aut subsequenter mox temporibus florere, ullam mentionem faciat, gravissima est suspicio, suppositum esse partum. Alterum, si quidpiam sine hæsitatione asseratur, quod jam prius auctores alii in dubium vocarunt, aut de quo in utramque partem certarunt, id fidem non meretur, nisi novis documentis firmatum. Tertium, si apud scriptorem circa chronologiam vel geographiam temporis & loci, quibus contigisse aliqua narrantur, errores non leves se se produnt, sublestæ fidei merito censentur illa, quæ passim commemorat. Quartum indicium, si non bene cohæreant posteriora cum prioribus, aut vicissim, si varient circumstantiæ, vel inter se pugnantia proferantur, nihil sinceri, veri nihil in ejusmodi narratione contineri ex-

tra dubium est. Illud denique circa veritatem historicam non prætereundum, immo vehementer deplorandum, quod hoc ævo tum pauci sint historici hoc nomine digni, & qui cum priscis Livio, Cæsare, Curtio, Cornelio Nepote, aut junioribus etiam, Mariana, Maffei, Strada &c. in comparationem venire possint. Non desunt nostris quoque temporibus Heroum facta insignia, grandia bella regnorum & Rerumpublicarum vicissitudines, tragici casus fortunæ ludentis: non desunt ingenia, & Viri in omni eruditionis genere versati. Sed desunt, qui vere ac sincere de hisce rebus scribere aut velint, aut possint. Et cur hoc? nimium delicatæ sunt hoc ævo Principum aures, nimis exosa in aulis veritas, ipsaque popularis aura admodum infesta. Omnes in Solio Salomones, omnes in consiliis Nestores, omnes in bello Scipiones, omnes in Republica Catones, dici ac audire cupiunt. Si vitia in regimine, si crassi contra Politicæ errores, si malæ artes eorum, qui a consiliis sunt, si Ducum in gerendis bellis inscitia vel perfidia, si pravi mores civium, & administratio sordida Magistratum, si hæc inquam ab Historico, uti re ipsa sunt, & fuerunt, detegantur, continuo læsæ

Maje-

Majestatis reus agitur, exilium libro indicitur, vel traditur Vulcano, Auctor stigmatate notatur. Ita nimis quam verum est: *Tange montes, & fumigabunt.* Interea velut imposito viris cordatis, qui muneri huic pares essent, silentio prodeunt rhyparographi, præsertim A catholici, vernacula loquentes lingua, qui vera falsis miscere, vitia dissimulare, facta mirum quantum extollere; levare invidiam, blandiri & placere norunt cum grandi veritatis dispendio; sicque male fartas, & mendaciis ac fraudibus bene oppletas historias posteritati transmittunt. Jam olim de malis hisce Historicorum quorundam artibus graviter conquestus est Vir insignis, magno Galliarum Regi a consiliis, Floremundus Ræmundus, Auctor historiæ *de ortu progressu ac ruinis hæresum seculi XVI.* cujus verba, quibus ad finem libri VII. Galliarum Regem alloquitur, sane dignissima sunt, ut hoc loco adducantur:

„ Dabis mihi veniam, inquit, optime
 „ Rex, magne Gallorum Monarcha, &
 „ humillimi ac fidelis tui subditi fide-
 „ lem libertatem bonam in pacem in-
 „ terpretaberis. Homines plerumque
 „ vel metu quodam id quod verum ac
 „ rectum est, dicere Principibus non

„ audent, vel ut eis adulentur, falsa
 „ dicunt. Tam hi quam illi minime
 „ digni sunt, quorum Principes consiliis
 „ utantur, ut qui magis per adulatoriæ
 „ picturæ licentiam dispensare secum
 „ studeant, quam severæ historiæ legi-
 „ bus se adstringere. Et quemadmodum
 „ pictores eorum, quos depingunt, næ-
 „ vos quam maxime possunt umbra
 „ quadam occultant, ut etiam acutissi-
 „ morum oculos fallant; contra vero
 „ ea, quæ pulchritudinem aliquam ha-
 „ bent, ita in propatulo collocant, iis-
 „ que coloribus depingunt, ut in om-
 „ nium oculos incurrant, sic nostri seculi
 „ plerique omnes scriptores in eorum,
 „ quos laudandos susceperunt, virtutibus
 „ ac recte factis deprædicandis non so-
 „ lum nimii sunt, (quod aliquo modo fer-
 „ ri poterat) verum etiam quæ peccata
 „ sunt, non silentio modo premunt, sed
 „ & commendant sæpe, & ornant. At
 „ veri Historici munus est, operam dare
 „ non tam, ut quos describit, excellentes
 „ ac magis, quam ipse verus videatur: nec
 „ minus vitia quam virtutes, quæ lau-
 „ de, quæ reprehensione digna, obser-
 „ vare ac notare, & ut verbo absol-
 „ vam, talem quemque describere, qua-
 „ lis est, non qualis esse vult, & debet.,

§. II.

*Querelæ contra scriptores A catholicos,
& Lectores Catholicos.*

XXXVII.

Plus habet, quod agat Critice cum illis, qui quo magis a rerum imperitis quandoque æstimantur, eo magis nocent, historiarum scriptoribus, scilicet A catholicis, vel certe minus Catholicis. Horum non pauci, nec raro, historiam suis commentis, observationibus, interpretationibus & scholiis misere corrumpunt, ac malignæ in rem Catholicam adfectioni suæ per fas & nefas servire cogunt. Aliquorum apertis mendaciis & fabulis pridem explosis Romanam sedem, ac debitam supremo Ecclesiæ capiti reverentiam convellere nituntur, uti Sleidanus, Chytræus, Illyricus, Hübnerus: Alii majore artificio Ecclesiæ regimen, & Pontificum in ea potestatem aggrediuntur, dum quidquid præclari ac sancti instituerunt, eorundem avaritiæ, ambitioni, ac pene tyrannidi tribuunt, ut Conringius, Goldastus, Petrus Suavis: Alii demum profanæ scriptores historiæ, præsertim Imperii Romano-Germanici, Pontifices vix non omni potestate, etiam a Christo conceptis verbis con-

concessa, exuunt, eamque in Reges ac Principes transferunt, Ecclesiastica jura perniciem esse boni publici, ac juris naturalis atque civilis criminantur, & Papas diffensionum, bellorum, vastationum, cæterorumque in Imperio ac regnis malorum auctores faciunt, ut Thuanus, Pseffingerus Vitriarii Commentator, Puffendorffius, aliique. Dum autem diversas ineunt vias, in eo omnes conspirant, ut apertis vel tacitis artibus Pontificum & regiminis Ecclesiastici contemptum ingerant legentium animis, ut Principibus & Magistratibus adulentur, iisque Ecclesiastica jura & bona velut venum exponant, ut sacra profanis, & profana sacris misceant, ac Sacerdotium cum Imperio gravissime collidant, denique ut Religionem Catholicam & veram Dei Ecclesiam susdeque vertant. Ad fidem autem apud male credulos inveniendam notis sibi artibus utuntur: Primo quidem miris laudibus ad astra usque scriptores suis partibus addictos extollunt, reliquos omnes ut vulgus ignavum despiciunt. Ita Conringius de Thvano (q): *Inprimis autem nobis lectio prodesse potest Jacobi Thvani. Hic est princeps omnium Historicorum prioris seculi* (scilicet eorum, qui in Pontifices, & Ecclesiasticos Ordines,

(q) Tom. 2. § 3.

nes, & in sacra quævis debacchantur) *Valuit* iudicio, & usus est scriptoribus ac monumentis optimis, quæ faciunt ad res Germanas. Hinc in rebus Germanis solet sequi Sleidanum frementibus ipsis Pontificiis, & amplissimo elogio eum exornavit. Secutus est etiam *Cbytræum*, & *Mercurium Belgo - Gallicum*. Optima si superis placet monumenta, quæ fidem faciant bene moratis lectoribus! Dein magniloqua operibus suis præmia præmittunt, in quibus divini honoris ac religionis zelum, Ecclesiæ incrementum, Imperatoriæ Majestatis ac legum Imperii instaurationem, sincerum in scribendo animum, & ab omni sinistro affectu & furore alienum profitentur, & nil nisi ex authenticis monumentis ac tabulis proferre se testantur. Ita inter alios paratragædiat *Fridericus Georgius* ipso in limine operis sui: *Dei bonorem*, inquit: *Ecclesiæ veræ* (id est *Lutheranæ*) *incrementum*, *Imperiique Romano - Germanici gloriam promovere*, pro modulo ingenii defendere, hoc labore laboravimus quod dum fecimus, ita calamum temperavimus, ut certi simus, neminem hoc nostro offendi posse labore, nisi qui velit se extollere super omne Numen, ac inimicum *Cæsaris*, *Imperiique Romano Germanici se profiteri*.

En!

En! magno promissor hiatu, ut canit Horatius. Sed sequi juvat nonnihil vestigia historici tam sinceri ac innoxii: *sacrum vinculum*, ait, *quo Imperii Principes Catholici, maxime Bavari, sedi Romane alligantur, aliud non esse, quam commodum temporale, ut eorum filii facilius promoveantur: item scopum Pontificiae Religionis non alium esse, quam ut Pontificis ejusque Cleri augeantur opes & potentia, ex quo toto in Imperio turbae sint exortae. Contra Lutheranam religionem ad promovendam cujuscumque Reipublicae felicitatem esse aptissimam: item, in Romana Ecclesia esse idololatricam Sanctorum multitudinem, Pontifices esse Anticristos &c.* Præterea Æneam Sylvium, postea Papam Pium II. virum si juventutis partem excipias, omni doctrinae ac virtutum genere conspicuum vel ipso Platina teste, quem scriptorem maxime A catholicis ab omni adulationis vicio eximunt, hunc Pium II. inquam Georgius Impium Pontificem adpellat, alibi maxime impudicum. Porro ait: *Imperatorum auctoritatem a Luthero vindicatam, in Protestantium terris antiquo juri restitutam, totamque Imperii faciem a Pontificiis abusibus reformatam esse.* Constat autem Lutherum Imperatorem Carolum V. aliosque Reges

ac Principes Catholicos *tyrannos, asinos, Papæ pedissequos &c.* in libris typo impressis, qui adhucdum superstites sunt, toti mundo promulgasse: constat, neminem magis Imperatoriis jussis, decretis, & juribus Majestatis se se opponere, ac supremam dignitatem in terris suis conculcare, quam eosdem *Protestantes*, ut præfens, quo scribo, fatale bellum Germaniæ nos docet: constat, quod specioso *Reformationis* titulo integros Episcopatus, Abbantias, Monasteria a religiosissimis Majoribus, Cæsaribus, Regibus, Principibus, Nobilibus ad Dei cultum liberalissime fundata dotataque sacrilegis armis invaserint, ab Ecclesia avulserint, ac devorarint; quod sacras imagines, & quidquid in religione Catholica sanctum est, eliminarent ac pessum dederint. Et hoc est, si Superis placet, *ad Dei honorem, ad Ecclesiæ veræ incrementum, & scribere temperato calamo, ut nemo possit offendi*, uti præfatur memoratus Fridericus Georgius. Unum adduxi, & ex uno pauca: sunt enim longe plura, crudiorave, quæ toto in Opere effutiit: sunt & reliqui Scriptores A catholicis atque Historici, quorum paullo ante memini, nec hilo meliores, ut passim libros eorum volventi patet. Præterire tamen nefas foret Samuelem Puf-

Puffendorffium, ejusque *Introductionem ad Historiam* (r), quæ e reliquis Viri hujus Operibus eo nocivior est, quo magis in manibus Juvenum, præsertim Nobilium, versatur vix non ante, quam in fidei Christianæ elementis instituuntur. Audiamus præclara ex hoc libro dogmata aliquot : 1. „ Auctoritatem supremam „ Apostolicæ Sedis adjudicat superstitionis „ sæ pietati Christianorum, maxime Cæsaris, Principum &c. donationibus ad „ pias causas : artibus Pontificum in aucupiiis pecuniariis dispensationum, nundinis indulgentiarum, nugis Jubilæorum, fisco bonorum schismaticorum, oblationibus & annatis ad bella sacra &c. 2. Eandem auctoritatem tribuit infinitæ multitudini Clericorum & Monachorum, otii & luxus causa ad Canonatus pingues, & bene dotata monasteria convolantium &c. item non minori numero Mendicantium, hoc vitæ genus partim ex sacrilega ambitione austerioris vitæ, bonorum operum ostentatione, & mercatura, partim ex desperatione vel otio, partim ex parentum superstitione, vel prolium cogente inopia amplectentium, e quibus factos ait a Pontificibus milites prætorianos, canes „ Ro-

(r) C. 2. de Monarch. Eccles.

„ Romanæ Aulæ venaticos &c. id efficien-
 „ tes, ut ne Pontificium jugum unquam,
 „ etsi multi in Germania vellent, excute-
 „ re valeant. 3. Sacrarum imaginum
 „ cultum vocat idololatricum, quem Pon-
 „ tifices nonnisi stimulante superbia &
 „ avaritia contra Orientales Cæsares
 „ ostentarint. 4. Conqueritur de violen-
 „ ta Pontificum totiusque Cleri exemptione
 „ ne a potestate Imperatorum, Regum &c.
 „ inde machinationes, prætextus & frau-
 „ des suscitatas seditiones, bella, clades ob
 „ hanc exemptionem in Imperio exortas
 „ criminatur. 5. perstringit tyrannicam, ut
 „ vocat, ambitionem Hildebrandi (seu Gre-
 „ gorii VII. inter Divos relati) aliorumque
 „ Pontificum in Imperatores exercitam;
 „ horum fraude impedimenta matrimonii
 „ statuta esse dicit, ut ad forum Ecclesia-
 „ sticum pertraherentur Reges ac Princi-
 „ pes: obtrusum fuisse Christianis pal-
 „ lum per Commentitias Decretales, no-
 „ vumque jus Papisticum, in fulcrum hu-
 „ jus tyrannidis compilatum. 6. Leo-
 „ nem X. qui Lutherum ejusque doctri-
 „ nam damnavit, depingit ut hominem
 „ fastui, luxui, avaritiæ, indulgentiarum
 „ nundinationibus, & sacrilego quæstui de-
 „ ditum: fabulatur Paulum III. auctorem
 „ fuisse Francisco Galliarum Regi, ut foe-
 „ BIBLIOTH. DOMEST. LIB. V. N „ dus

„ dus cum Turcis iniret ad refringendam
 „ Cæsaris fortunam, & atterendas Prote-
 „ stantium partes. 7. Pontificem exhibet
 „ ut præensum Hierarchiæ Ecclesiasticæ
 „ caput; ejusque statum humanæ astutiæ
 „ innixum fuleris: aliis siquidem statibus,
 „ inquit, pro fine præfixa quies, pro me-
 „ diis sufficientia ad intra, Imperii intra
 „ terminos conservatio, nervus pro mili-
 „ te, jus naturale & divinum pro regimi-
 „ nis ratione. Huic (nempe Papali) pro
 „ fine opes, potentia &c. pro adminicu-
 „ lis sufficientia, immo & abundantia va-
 „ riis artibus procuranda ab extra: impe-
 „ rii continua dilatatio, præsidariæ co-
 „ piæ habendæ gratis, jus regiminis intra
 „ statum contra statum erecti, & juris-
 „ dictio a seculari foro avulsa, ratione
 „ nulla, nullo divino testimonio demon-
 „ strabilis, sed innixa fucis, quibus omni-
 „ bus ni cæce annuas, mox hæreticus au-
 „ dias. 8. Sub hoc regimine Catholicæ
 „ Ecclesiæ, pergit nugari Puffendorffius
 „ Calumniator, Laicos in officio continet
 „ imaginaria salus, velut a Clericis con-
 „ tinentiæ Rectoribus dependens: Dein
 „ S. Scripturæ vetita lectio, ut ne figmen-
 „ ta ac imposturæ Sacerdotum plebi subo-
 „ leant &c. Traditiones non sine præju-
 „ dicio S. Scripturæ, quasi incompletæ:
 „ di-

„ distinctiones peccatorum levium, gra-
 „ vium &c. Casus reservati, libelli pre-
 „ catorii infiniti &c. aucupia sunt avari-
 „ tiæ Sacerdotalis: Confessio auricularis
 „ inducta ad expiscanda secreta cordium,
 „ satisfactio pro peccatis telonium est,
 „ erectum ad aucupanda legata, lenien-
 „ dos muneribus conscientiae arbitros, ad
 „ redimendas pecuniis pœnitentias. Bo-
 „ norum operum mercatura pro Clero,
 „ Monasteriis &c. ad implendum id om-
 „ ne, quod Pontificia superstitione induxit:
 „ Demum innumeræ ceremoniæ, inutiles
 „ feriæ, processiones, sacella, aræ non
 „ necessariae, Sacramenta ad septenna-
 „ rium aucta &c. partim lucrum spectant
 „ (nil enim sine pecuniis) partim pieta-
 „ tem facatam, ut ne infinita Clericorum
 „ copia otiosa penitus videatur: sacrificia
 „ Missæ inducta, ut sint loculorum subsi-
 „ dium; nemo negotium suscipit, nemo
 „ moritur absque tali tributo, cui etiam
 „ mortui subjacent. 9. Ipsa denique ag-
 „ greditur sacramenta: *Calicis* usus, in-
 „ quit, contra Christi institutionem & tot
 „ seculorum usum Laicis fuit ademptus,
 „ ut esset tumentis Cleri prærogativa, nec
 „ restitutus, ut ne errasse videatur. *Matrimo-
 „ nium* Sacramenti nomine salutatum,
 „ ut ratione lucri trahi posset ad Ecclesia-

„ sticum tribunal : Additi gradus prohi-
 „ biti, ut per dispensationes magis magis-
 „ que loculi turgerent. *Extrema unctio*
 „ excogitata, ut esset occasio ad procu-
 „ randas ultimas voluntates. *Purgato-*
 „ *rium* confictum pro aucupio Missarum
 „ & donationum ad pias causas. *Reli-*
 „ *quiarum* usus servit ad compensanda
 „ Benefactorum obsequia. *Sanctorum cul-*
 „ *tus* ad multiplicanda altaria, facella,
 „ festa pro accommodando Clero ac su-
 „ stentando. *Apotheosis sanctorum* ambi-
 „ tiosum fulcrum est Pontificiæ auctorida-
 „ tis, quo sæpe ad Pontificia vota incli-
 „ nantur Respublicæ, compensantur me-
 „ rita, exaltantur plerumque hypocritæ
 „ pietatis, & superstitionum auctores, vel
 „ bene nummati Pontificiæ sedis cultores:
 „ ut silentio involvantur tot figmenta mi-
 „ raculorum, imaginum, spectrorum,
 „ exorcismorum, indulgentiarum, jubi-
 „ læorum, ciborum prohibitorum, quæ
 „ nonnisi mera Romanæ avaritiæ sunt au-
 „ cupia &c. „ Ita Puffendorfius, in cu-
 „ jus opere veluti de palma certant inter se
 „ tum crassa quædam mendacia, figmenta
 „ de regimine Ecclesiastico audacissima, ma-
 „ lignæ prorsus de consiliis & factis Pontifi-
 „ cum interpretationes ac conjecturæ, nullo
 „ nixæ fundamento: tum fraudulentæ, ad-
 „ que

que omnem invidiam & extremum Ecclesiastici Ordinis contemptum compositæ exegetes, impudentes crises, & sacrilegæ adversus sanctissima Catholicæ Religionis mysteria & Sacramenta calumniæ. Obsecro: num hæ sunt probi Historici characteristicæ, quem titulum sibi tanto cum fastu arrogant scriptores acatholici? Hæcne veritas & fides historica inter ejusmodi miseræ fabellas, toties jam a Catholicis Polemicis protritas? Hæcne introductio ad historiam, vel potius ad petulantem satyram? Et tamen pro pudor! hanc impune legunt, laudant in circulis, deprædicant Catholici (A catholicos non moror stultitiam nostram hac ipsa in re tacite ridentes) immo & juvenibus legendam obtrudunt cum certa perniciæ eius, quam profitentur, avitæ religionis, cujus falsissimas ideas non potest non ingenerare teneris & incautis animis. Non equidem is sum, qui Ecclesiam Dei esse sponsam in terris omni macula & ruga carentem aut credam, aut affirmare velim. Sunt e Catholicis gravissimi Ecclesiasticæ historiæ scriptores, qui aliquorum (paucorum tamen in tanto numero) Pontificum crimina etiam grandia neutiquam dissimulant: sunt, qui Ecclesiasticorum æque ac Laicorum mores in quibusdam corruptos, &

non paucos abusus, qui in res etiam sacras irrepperunt, liberali censura perstringunt: sed id contendo, sycophantæ non historici esse, omne genus querelarum, abusuum, & vitiorum, quæ in privatis aliquibus membris reperiuntur, toti corpori, toti Ecclesiæ, cunctis Pontificibus, integro Ordini Ecclesiastico tribuere, ac per summum nefas adfingere, ipsamque Religionem antiquitate sua venerandam, sanctissimis legibus & dogmatibus instructam, & tot sanctorum hominum virtutibus & miraculis illustrem tanquam malorum istorum originem & fontem proclamare, atque in invidiam trahere: Sycophantæ inquam, ac maledici hominis hoc esse contendo, non Historici. Hinc recte ac prudenter monet Cl. Franciscus Schmier, celebris sacri & profani Juris Consultus ex Ordine D. Benedicti, ac Salisburgensis Academix Rector (s): *Jurisprudentiam ab Historia mirum in modum illustrari. Mox vero addit: Cautos tamen Jurisprudentiæ publicæ studiosos esse velim in legendis heterodoxorum libris publicis, Historiam Ecclesiasticam quomodolibet tangentibus: sunt enim illarum documenta plerumque domestica, vel depravata, præsertim*
contra

(s) *In Oper. de Jur. Canon. Univers. Tract. præamb.*

contra Romanos Pontifices, quos cum nolint habere superiores in causis morum ac fidei, quavis occasione venenatis dentibus & calamis mordere ac perstringere non erubescunt. Immo Doctissimus Gletle non dubitavit animadvertere: *Quod si religio catholica in terris Imperii aliquando prædominari rursus incipiat* (non armis, sed Dei misericordia, donum avitæ fidei, ipsis indulgente) *omnes fere libros illustrando Juri Publico ab Acatolicis conscriptos ad censuram vocandos, ac vel omnino proscribendos, vel ita expurgandos esse, ut vestigia veneni detegantur.* His quæ hucusque de scriptoribus Acatolicis adtuli, (plura occurrent in libro de Jurisprudencia) his inquam nihil de illorum ingenii ac scientiæ laudibus detractum volo: illud solum Quintiliani de Clitarcho Historico pronunciare liceat: *Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur.* Et vero quæ fides adhibenda veræ fidei hostibus? Certe Carolus V. Imp. uti Surius refert, dum Sleidani (quem historiæ semideum celebrant) librum res a Cæsare gestas commemorantem coram se legi audierat, identidem interrumpit filium, dicens: *Mentitur nebulo:* ad extremum dignam Carolo & Cæsare sententiam adjecit: *Quanam istorum scriptis*

ptis veritas fidesque insit, cum veritatis fideique lucem in se ipsis extinxerint? Verum satis de quærelis contra scribentes Historiam.

XXXVIII.

Alia superest, quæ historicum studium, vel potius legentes historiam premit, censura & crisis, quam ut exponam, familiare quoddam colloquium, quod aliquot abhinc annis inter Virum aliquem primi Ordinis ac Regium Dynastam, alium vero literariæ rei cultorem non infimæ notæ intercessit, hoc in loco referre opus est. Utrumque novi, & uterque dum hæc scribo, inter vivos degit. Convenerant hi quadam die, ac inter alios eruditos, ut solebant, sermones delapsi sunt ad studium historicum, non ita pridem in gratiam studiosæ juventutis eo loci introductum. Et quomodo hoc tibi placet, ait Dynasta? nunquid bene factum, ut studii hujus nobilissimi cura tandem fuerit suscepta? Ego vero, respondit alter demisso nonnihil vultu subridens, ego vero, si rem bene intelligo, probare illud haud possum. Non expectato percussus responso: Jocarîs credo vir bone, inquit ille; aliud enim mihi loquitur tuus, quem novi, animus, quo in bonarum artium ac literarum

rum cultum ferri soles. At hic adductis humeris: Ita est, probare haud possum, immo noxium potius esse quam utile hoc studii genus esse censeo. Ad hæc vix indignationem premere Dynasta: sublatis dein superciliis: Et cur hoc, ait, tam fidenter asseris? mihi sane paradoxum videtur. Tum alter, si licet, pace tua dicam, Vir Excellentissime, sed spatium loquendi a te peto: Quumque annuisset ille, hic ita loqui cœpit: Inficiari nec possum nec volo, esse plurima in Historiis, quæ nobilem animum, & ad ea quæ legit attentum, ad scientiam & virtutem erudire, a vitiis vero ac pravis moribus abducere possunt. Illud tamen mirari satis non possum, qua ratione fiat, ut dum maxime hoc seculo fervet studium istud, tam pauci meliores, pene dixerim peiores efficiantur, ac fuerunt ante, quam hac in palæstra juventus exercebatur. Et quidni? ut ab hac ipsa juventute ordiar, legimus in historia profana, Spartanos prolem suam vario asperitatum genere ad virtutis & fortitudinis cultum erudiisse: unde *spartana patientia*: quin & parentes nimium suis indulgentes liberis infamix nota castigasse: Romanam Rempublicam stetisse firmam, quamdiu juventus ad ardua & fortia facta stimulabatur: at

post everſam Carthaginem ad luxum & mollitiem delapſam paullatim interiſſe; a Theodoſio M. filios Arcadium & Honorium nudo vertice ac ſtantes auſcultare ſedentem Magiſtrum Arſenium juſſos fuiſſe, ac virgis cædi, ſi quid peccaſſent: Corneliam Romanam aliis Matronis gazas ſuas jaçantibus monſtraſſe filios ſuos optime moratos, e ſchola reduces, dicentem hunc eſſe theſaurum ſuum omnibus aliis præferendum. In ſacra vero hiſtoria legimus: Optimum Senem Tobiam filium ſuum docuiſſe timere Deum a prima juventute: Joſephum inter fratrum inſidias & flagitia innocentem ſervaviſſe animam: ſacerdotem Heli repentina morte a Deo punitum fuiſſe ob inſolentiam filiorum Ophnis & Phinees impunitam, nec emendatam: piſſimam Ludovici Sancti Galliarum Regis Matrem Blancam, ut horrorem peccati tenello Principi ingeneraret, ſæpius inculcaſſe hanc vocem: malle ſe illum ante oculos ſuos mortuum conſpicere, quam peccati lethalis labe infectum. Sed quæ noſtris temporibus eſt puero- rum indoles? quæ educatio prolium? quæ cura parentum? Inſtituuntur molliſſime, ad omnem luxum & vanitatem comuntur, diſcunt ſaltare, ludere, amare & amari, feſceninis jocis, prætextatis ver-
bis,

bis, & æquivocis uti sermonibus: ob hæc laudantur, tanquam festivi ingenii primos flores: hæc discunt parentum exemplis: procul ferula vindex criminum, procul tristis Orbilius, & quidquid contristari aut coercere insolentem puerum posset: Prima politicarum artium, ultima cura pietatis, religionis, ingenuæ indolis.

Legimus in historia profana Numæ Pompilii sollicitudinem nascente regno Romano circa ordinanda sacra, statuenda Deorum simulacra, ac Sacerdotum ministeria designanda: Æneæ pietatem in superos: in Sacra vero, Mosis & Aaronis labores in erudiendo ad Dei veri cultum populo, in erigendo tabernaculo, in sacrificiis, festis & ceremoniis rite peragendis; Salomonis templum Solymæum, auro, argento ac pretiosissimis lapidibus exornatum: Machabæorum pro tuenda vera religione gloriosa cum Antiocho Tyranno certamina. Sed quis nostris temporibus pro Religione zelus? quæ rerum sacrarum reverentia? An non cum Oza & Saule immittuntur profanæ manus in religiosa ministeria & jura? An non cum Heliodoro expilantur æraria & Ecclesiæ thesauri? Ubi Constantini, Caroli M. sancti Henrici, Imperatores, qui tot Ecclesias, Monaste-

nasteria, pauperum hospitia fundarunt atque dotarunt? An non quæ Majores seminarunt pro sacris Deo hominibus, pro liberis & nepotibus ad profanos usus demetunt posteris? Qua constantia fidem Catholicam in baptismo juratam profiteamur verbis & operibus? An non erubescimus Evangelium? an non in gremio Ecclesiae Catholicae nati & educati cum ejus hostibus conspiramus doctrina & moribus?

Legimus in historia profana de Cambyse Persarum Rege, quod iniquo Judici, pellem detrahi, eaque tribunal vestiri jussit: de Trajano Imperatore, quod itineri jam accinctus, involante in frenum equi paupere vidua & justitiam imploranti, mox ex equo descenderit, ejusque causam ipse cognoverit: in sacra, celebre Salomonis judicium, vindicatam a Daniele Susannæ innocentiam, sancte administratam a Mose, Samuele, Davide justitiam. Sed, quot nunc pelles & spolia per iniquas sententias detracta circumferunt Judices? quot viduarum & pupillarum lamenta surdis excipiuntur auribus? quoties aurum excæcat oculos, fraus & violentia triumphat, & innocentia succumbit? quoties tragica renovatur historia Nabothi, quem in judicio vita spoliavit

vit impius Rex Achab cum peiore Coniuge Jezabele, ut vineam ejus occuparent?

Legimus in historia profana exemplum Lucretiæ Romanæ, læsum per vim Tarquinii conjugalem pudorem fuso sanguine in se ipsa vindicantem: castum Hippolitum Phædræ Novercæ incestos amores repudiantem ab equis discerptum: Crispum Constantini M. filium, vitæ integerrimæ Principem, dum Faustæ novercæ ad flagitium sollicitanti se se opponeret, falsa criminatione neci adjudicatum: in sacra vero, Josephum de Putipharis uxore, ejusque libidine relicto in manibus pallio triumphantem: Susannam ab impiis senibus frustra sollicitatam, & morti jam jam præsentem a Daniele subtractam: tot teneras Virgines repudiatis Tyrannorum nuptiis martyrii laurea coronatas. Hæc legimus, & non erubescimus contaminare juventam furtivis amoribus, alienæ pudicitæ insidiari, alienum violare thorum, fovere incendium, nec Sodomæ nec inferni flammis sat expiandum?

Legimus in utraque historia, avaritiam in Cræso, in Sardanapalo, in Marco Crasso, in Achabo & Jezabele, in Anania & Sapphira flammis, sanguine ac morte tunc
 nestis

nestissima punitam: Superbiam & ambitionem in Tarquiniis Regibus, in Pompeio & Cæsare, in Goliatho, Amano, Antiocho depressam, & severissime exilio, patibulo, cruenta cæde castigatam: Aulicas artes & mala regimina in Achitophele, Amano, Belisario, Stilicone, in Roboamo & reliquis Regibus Israeliticis, in Pharaone, Nabuchodonosore, Herode gravissimis pœnis ac plagis bellorum, vastationum, captivitatum, everisionis regnorum & Monarchiarum a Deo mulctata.

Plura parantem dicere interpellat Dynasta, qui longioris sermonis jam satur esse videbatur: &, Concionatorem ut video agis hodie, inquiebat. Immo vel maxime historicum, aut si mavis Parrhesiastem, respondit alter, quia quod proprium est ac præcipuum Historici, veritatem dico, & libere dico: novi enim, cui loquar; semperque in Te Virum probum, eruditum, & veritatis amantem suspexi. Verum urgebat ille, ac necdum ex his id, quod initio dictum est, scilicet historix studium seculo nostro esse noxium potius quam utile, intelligere se affirmabat vel simulabat. At faxo, ait alter placido vultu, & ad modestiam composito (nam ante nonnihil incaluit) faxo ut mox intelligas, Vir Illustrissime, si patienter audie-

audieris, quæ breviter modo dicturus sum, Ecce! prioribus seculis, ubi necdum hoc studium ita invaluit, sancta quaedam cum simplicitate vivebant homines justî & recti tenaces, & ad Dei timorem eruditi faciebant, quæ non legebant, rectæ rationis, conscientiæ, ac religionis ductum secuti: nunc vero legunt optima quæque, & pessima quæque passim faciunt, ingenio flexiles ad intelligendum, sed voluntate ad imitandum ferrei: Student esse mali, atque videntur hoc studio suo in id incumbere, ut ex optimis, quæ historia suppeditat, virtutum exemplis addiscere vitia, & iis quæ legunt, e diametro, ut loquimur, contraria facere possint ac velint. Quæ igitur utilitas lectionis historiæ? immo ipsius artis, qualem nuncupari non patiebatur Galenus eam, *quæ utilitatis nihil adferret vitæ?* An non gravior post tantam lucem Deo reddenda erit ratio? Hæc enimvero digitum ori imposuit Dynasta, & alter velut dato signo finem colloquio: ego autem his ipsis libro huic de historia coronidem impono.





INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI V.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

- Ælianus scripsit de plantis, herbis, & gemmis.* L. 5. N. 14.
Ætates mundi septem in S. Historia. L. 5. N. 33.
Adversaria historica quomodo sint consi- cienda, docet Lipsius. L. 5. N. 29.
Affectus in historia non ita dominari de- bent, sicut in teatro. L. 5. N. 22.
Affectuum sciendorum utilitas. L. 5. N. 22.
Exemplum e Livio de Lucretia: aliud ex Maffeo de Sosa, & Eleonora Conju- ge. L. 5. N. 22.
Alexander M. legit historiam Homeri. L. 5. N. 2.
Alphonsus Rex sanatur lectione Curtii. L. 5. N. 5.
Aristoteles præclare scripsit de animalibus. L. 5. N. 14.
Apel.

Index Rerum & Verb. Lib. V.

Apelles primus mediam hominis faciem depinxit. L. 5. N. 25.

B.

Basilius Imp. commendat lectionem historiae Leoni filio. L. 5. N. 5.

C.

Caroli V. judicium de Sleudano, aliisque Historicis A catholicis. L. 5. N. 37.

Catholicorum caeca cupido in legendis Historicis A catholicis. L. 5. N. 37.

Causae & circumstantiae eventuum cur & quomodo sint explicandae. L. 5. N. 21.

Character proprius Narrationis historicae. L. 5. N. 21.

Characteris historici leges. L. 5. N. 21.

Character historiae sacrae est sublimior omnibus aliis. L. 5. N. 31.

Character ipsius Historici, ejus prudentia. L. 5. N. 28.

Claudianus elegans carmen scribit ad Honorium Imp. de utilitate historiae. L. 5.

N. 5.

Conjecturas & propria judicia aliqui rejiciunt in historia: melius alii admittunt.

L. 5. N. 26.

Debent tamen verecunde adhiberi. L. 5. N. 26.

Index Rerum

- Comnenæ (Annæ) illustre testimonium de æquitate Historici.* L. 5. N. 24.
- Comparatio Historici cum sculptore.* L. 5. N. 16.
- Comparatio morum hujus seculi cum egregiis historiæ exemplis de vitiis & virtutibus.* L. 5. N. 38.
- Conciones seu Oratiunculæ apud Historicos sunt vel directæ, vel indirectæ.* L. 5. N. 19.
- Ostenditur eorum utilitas adductis exemplis præcipuorum Historicorum.* L. 5. N. 19.
- Cornelius Nepos de elogiis defunctorum.* L. 5. N. 15.
- Curtii animadversio circa veritatem historiæ.* L. 5. N. 16.

D.

- Descriptiones historicae quid sint: multiplex earum genus.* L. 5. N. 18.
- Quando, & quommodo adbibendæ.* L. 5. N. 18.
- Descriptionum exempla: obsidionis & expugnationis: pugnae ac victoriae.* L. 2. N. 18.
- Dialogus de modico fructu, qui a multis, reportatur e studio historico.* L. 5. N. 38.
- Dio

& Verborum Lib. V.

- Dio plus Casari favet, quam Pompeio.*
L. 5. N. 24.
- Discrimen inter Historicum & Novellistam.*
L. 5. N. 21.
- Dotes requisitæ tum in scribente, tum in legente historiam.*
L. 5. N. 1.

E.

- Encomia seu judicia historica: eorum indoles.*
L. 5. N. 20.
- Debent caute ac prudenter adhiberi.* L. 5.
N. 20.
- Epiphonemata. V. Sententiæ.*
- Epochæ novæ sacræ historiæ.* L. 5. N. 33.
- Eusebius solas Constantini virtutes memorat, dissimulatis nævis.* L. 5. N. 24.
- Exempla virtutum & vitiorum e S. Scriptura: de fidelitate, de innocentia, de pœnitentiâ, de superbia, de perfidia &c.*
L. 5. N. 34.
- Alia exempla pro Regibus, Aulicis, Magistratibus, Judicibus, & omni fere hominum conditione.* L. 5. N. 34.

Index Rerum

F.

*Figura veteris testamenti: Abrabamus
& Isaac: serpens aeneus: Jonas.* L. 5.
N. 33.

*Finis historia duplex est, scilicet memoria
præteritorum, & imitatio eorum.* L. 5.
N. 2.

*Flavius Josephus scriptor rerum Judaica-
rum.* L. 5. N. 7.

*Floremundi Ramundi insigne testimonium
de munere Historici.* L. 5. N. 36.

*Focæ Grammatici ac Poetæ elegans ode
in laudem historiae.* L. 5. N. 4.

*Forma historiae consistit in rebus ac ver-
bis:* L. 5. N. 21.

Friderici Georgii calumniae. L. 5. N. 37.

G.

*Gletle J. C. animadversio circa libros Aca-
tholicorum.* L. 5. N. 37.

*Græcorum historia ut plurimum mendax
est teste Horatio.* L. 5. N. 2.

H. Ha-

H.

- Halicarnassei instructio circa scriptiorem
historiæ, ejusdemque præcepta.* L. 2.
N. 27.
- Hegesippus primus, qui Ecclesiasticam hi-
storiam scripsit post tempora Apostolo-
rum.* L. 5. N. 11.
- Herodotus primus profanæ historiæ scri-
ptor.* L. 5. N. 8.
- Historice differt ab historia, uti mater a
filia.* L. 5. N. 1.
- Historicen esse artem male quidam nega-
runt.* L. 5. N. 1.
- Historiæ divisio multiplex.* L. 5. N. 1.
- Historiæ materia extendit se ad omnes ho-
minum actiones: forma in ornatu &
stilo consistit.* L. 5. N. 1.
- Historia differt a Grammatica, Rhetorica,
& Poesi.* L. 5. N. 1.
- Historiæ finitio e Cicerone, quod sit tem-
porum testis, & vitæ magistra.* L. 5.
N. 2.
- Geminam faciem præfert instar Jani.*
L. 5. N. 2.

Index Rerum

Historiæ expertes semper sunt pueri. L. 5.
N. 4.

*Historiam sacram post Mosen profecuti sunt
Duces ac Reges populi Israelitici, Pro-
phetæ aliique.* L. 5. N. 7.

*Historici profani primi normam desumpse-
runt a libris sacris historicis.* L. 5. N. 8.

*Historia profana fere omnis ante Olympia-
des fabulosa videtur.* L. 5. N. 8.

*Historiæ scribendæ prima ratio apud La-
tinos fuit agrestis.* L. 5. N. 9.

*Historici vetustissimi apud Latinos produ-
tur.* L. 5. N. 9.

*Historicæ felix progressio: fines suos dila-
tat per totum orbem.* L. 5. N. 10.

Ejus vastissima materies. L. 5. N. 10.

Historiæ Ecclesiasticæ incrementum. L. 5.
N. 11.

Historiæ profanæ incrementum. L. 5. N. 12.

*Historici Veteres ut plurimum singulares
historias scripserunt: Recentiores autem
uni-*

& Verborum Lib. V.

*universalem totius orbis, regni, aut
regionis.* L. 5. N. 12.

*In Historiæ natura definienda variorum Au-
torum opiniones.* L. 5. N. 14.

Differentia illius ab Annalibus. L. 5.
N. 14.

*Historiæ partitio in universalem, parti-
cularem, singularem, & sejunctam.*
L. 5. N. 15.

Aliæ partitiones. L. 5. N. 15.

*Quinam excoluerint historiam divinam,
naturalem & humanam.* L. 5. N. 15.

Historici grave munus, & dotes requisitæ.
L. 5. N. 24.

Non debet absterveri a difficultate. L. 5.
N. 25.

*Flagitia omnino turpia reticere debet,
aut obiter solum perstringere.* L. 5
N. 24.

*Non raro imitantur pictores, sed per-
peram.* L. 5. N. 25.

Index Rerum

Historici Græci præceptis valent: Romani exemplis. L. 5. N. 29.

Historia sacra male negligitur a juventute. L. 5. N. 32.

Historicorum veritatis amantium & egregiorum paucitas nostris temporibus. Et cur? L. 5. N. 36.

Historicorum Acatbolicorum satis multorum characteres. L. 5. N. 36.

Homerus apud inferos ob fîctiones de Diis minus verecundas. L. 5. N. 35.

Horatius conqueritur, quod magnis Viris desint historici. L. 5. N. 2.

I.

S. Ignatius lectione libri sacri historici ad meliorem vitam convertitur. L. 5. N. 5.

Indicia, quibus discernuntur falsæ vel suspectæ historiae a veris & probis. L. 5. N. 36.

& Verborum Lib. V.

L.

*Lassorii (Alphonfi) a Varea: universus
terrarum orbis scriptorum calamo deli-
neatus, Opus insigne.* L. 5. N. 13.

*Lectorum quatuor classes: in politicis: in
arte militari: in eruditione: in histo-
ria universali.* L. 5. N. 30.

*Lipsii instructio circa scriptores historiae,
ejusque praecepta.* L. 5. N. 27.

*Ejusdem informatio data Nobili Juveni
de recta lectione historicorum.* L. 5.
N. 29.

*Lucianus existimavit finem historiae esse
solam utilitatem.* L. 5. N. 2.

M.

*Miltiadis trophea Themistoclem excita-
runt ad imitationem.* L. 5. N. 2.

*Mirabilia si in historicis leguntur, non
statim rejici debent ut fabulae, exemplo
Possennii.* L. 5. N. 36.

Index Rerum

Missionarii S. J. de Indiis Orientalibus & Occidentalibus certiora nos docuerunt, & etiamnum docent. L. 5. N. 36.

Moses primus fuit scriptor historiae, utpote qui omnes alios aetate antegressus est. L. 5. N. 6.

Mosaicae historiae encomium. L. 4. N. 7.

De quibus Moses tractet in sua historia. L. 5. N. 14.

N.

Narrationis historicae dotes explicantur. L. 5. N. 17.

Plurimum confert ad bonam narrationem ordo narrandi. L. 5. N. 17.

Narrationi nihil obest varietas eventuum: immo prodest. L. 5. N. 17.

Narrationis exemplum e Livio de raptu Sabinarum. L. 5. N. 17.

Aliud e Maffeo de facto heroico S. Ignatii. L. 5. N. 17.

¶ Verborum Lib. V.

O.

*Observationes octo ad sacram historiarum vi-
te percipiendam, & cum fructu legen-
dam.* L. 5. N. 33. & 34.

*Oratio Veturiæ Coriolanum filium ab
excidio Romæ debortantis e Livio.* L. 5.
N. 19.

*Alia Margaritæ Belgii Gubernatricis
e Strada.* L. 5. N. 19.

*Alia Regis Maurorum, & Regis Ca-
stiliæ ante pugnam ad Tariffam e Ma-
riana.* L. 5. N. 19.

*Originem historiæ Poetæ tribuerunt Clio
uni Musarum: Ægyptii suis sacerdoti-
bus: Græci Cadmo: Latini Saturno.*
L. 5. N. 6.

Ordo narrandorum in historia. L. 5. N. 16.

P.

*Paterculus perpetuo insectatur Germani-
cum, cui Tacitus semper adulatur.*
L. 5. N. 24.

*Pbilareus Ptolemæo Regi commendat le-
ctiorem historiæ.* L. 5. N. 5.

Pbi-

Index Revum

- Pbilo Judæus scriptor rerum Judaicarum.*
L. 5. N. 7.
- Platina inique infēclatur Pontifices sibi minus faventes.*
L. 5. N. 25.
- Possevini monitum de studio Chronologia ad historiam necessario.*
L. 7. N. 28.
- Possevinus (Antonius) S. J. per totam Europam legationibus functus egregie scripsit de historia, & scriptoribus historiae.*
L. 5. N. 10.
- Præcepta de arte historica quinam scriptores tractarint.*
L. 5. N. 1.
- Pufendorffii calumnia in Pontifices & Ordinem Ecclesiasticum: novem illarum specimina.*
L. 5. N. 37.

Q.

- Quintilianus, quid ad eloquentiam in Historico requirat.*
L. 5. N. 28.

R.

- Rapinus S. J. insignis Criticus in studio Historiae.*
L. 5. N. 10.
- Ejusdem instructio circa scripturam historiae, ejusque præcepta.*
L. 5. N. 28.
- Re-*

§ Verborum Lib. V.

*Refutatur opinio illorum, qui ævi prisce
historiam inutilem esse pronunciant.*
L. 5. N. 4.

*Regulæ Melchioris Cani circa veritatem
historicam.* L. 5. N. 25.

Regulæ ad utiliter legendam historiam.
L. 5. N. 29.

*Religio vera, quantum ad substantiam ad-
tinet, in lege naturæ, scripta, & gra-
tiæ nulli mutationi obnoxia fuit.* L. 5.
N. 34.

*Romanorum librorum (vulgo Romanzen)
origo.* L. 5. N. 35.

*Sunt pestis juventutis: eorum pessimum
artificium detegitur.* L. 5. N. 35.

*Rudimenta historica in Gymnasia S. J. per
Germaniam introducta.* L. 5. N. 12.

S.

*Sallustii mira sollicitudo ad veritatem in-
dagandam.* L. 5. N. 16.

S. Scri-

Index Rerum

- S. Scripturæ narrationes mirificæ.* L. 5.
N. 31.
- Scriptores historiæ sacræ.* L. 5. N. 7.
- Scriptores Veteres historiæ profanæ Græci
eorumque characteres.* L. 5. N. 8.
- Scriptores Veteres historiæ profanæ Lati-
ni, eorumque characteres.* L. 5. N. 9.
- Scriptores de arte historica, & præceptis.*
L. 5. N. 1. & 10.
- Scriptores historiæ Ecclesiasticæ.* L. 5.
N. 11.
- Scriptores Chronologici, Geographici,
Genealogici.* L. 5. N. 12.
- Scriptores historiæ universalis.* L. 5. N. 12.
- Scriptores de Europa, Asia, Africa, &
America.* L. 5. N. 12. & 13.
- Scriptores Annalium, Ephemeridum, &
Singularium historiarum.* L. 5. N. 15.
- Schvarzii (Ignatii) S. J. Collegia Histo-
rica.* L. 5. N. 12.
- Sententiôsæ dictionis exemplum de Hanni-
balis indole e Livio.* L. 5. N. 20.
- Aliud exemplum de Duce Albano e Stra-
da.* L. 5. N. 20.

Aliud

& Verborum Lib. V.

*Aliud de Egmonti & Hornani Comitum
supplicio.* L. 5. N. 20.

*Sententiarum brevissimarum paradigmata
quædam e variis Auctoribus, sacris &
profanis.* L. 5. N. 20.

Simplicitas requisita ad historiam. L. 5.
N. 28.

*Stilus historicus est varius in variis scri-
ptoribus.* L. 5. N. 23.

Stili historici dotes. L. 5. N. 23.

*Strada (Famianus) S. J. insignis & in ar-
te & in stilo historico.* L. 5. N. 10.

*Suavis (Petrus) ex historia Concilii Tri-
dentini satyram concinnavit.* L. 5.
N. 25.

V.

*Veritas requiritur ad historiam, uti lux
ad videnda objecta.* L. 5. N. 3.

*Veritatem quomodo scriptor eruere de-
beat.* L. 5. N. 3.

Index Rerum & Verb. Lib. V.

Contra veritatem peccari potest duplici modo: tum narrando falsa, aut vera alio, quam quo gesta sunt modo: tum reticendo veras laudes, aut vituperia.
L. 5. N. 25.

Veritatem eorum, quæ scripsit Polybius, ut indagaret, multa itinera confecit.
L. 5. N. 25.

Vitia legentium historiam duo sunt: facilitas nimia in credendo quævis, & obstinatio in credendo parum vel nihil.
L. 5. N. 36.

Vopiscus asseruit, omnem historicum in aliquibus mentiri.
L. 5. N. 3.

Vossius (Gerardus) primus fuit, qui historiæ præcepta & æconomiam ad artis normam instruxit.
L. 5. N. 10.

Utilitas communis, quam adfert historia.
L. 5. N. 4.



LIBER VI.
DE
RE NUMARIA.

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VI.

LIBER VI
DE
RE PUBLICA





EPITOME

LIBRI VI.

DE

RE NUMARIA.

CAPUT I.

PRETIUM ET UTILITAS
HUIUS REI.

§. I.

Præstantia.

I.

Ex omnibus reliquiis Antiquitatis nihil ita integrum & intactum ad nos pervenit, quam numi & numismata. Studium rei numariæ commendatur, cujus ope plurima ad eruditionem spectantia fuerunt detecta.

* 2

II.

Epitome Libri VI.

II.

Præclara quorundam opera tum in colligendis, tum in cælandis numismatibus, quales fuerunt Goltzius, Ortelius, Princeps Croius, Levinus Torrentius, Ant. Augustinus, Baronius, Paghius, Bollandistæ &c.

§. II.

Utilitas rei numariæ.

III.

Eruditio sine Antiquitatis studio nequit subsistere: ad hoc autem requiritur notitia historiciæ, chronologiæ, & geographiæ, quæ tres artes per numos multum emendatæ fuerunt. Veteres numi testimonium præbent, quo nullum certius habere possumus.

IV.

Ostenditur utilitas, quam numorum cognitio adfert Pictoriæ, Statuariæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ, ac Theologiæ: etiam Interpretibus S. Scripturæ, ut in Vilalpando & Tirino videmus.

Epitome Libri VI.

CAPUT II.

HISTORIA REI NUMARIÆ.

§. I.

Origo numorum.

V.

Quid sit numus, quid numisma, quid pecunia, explicatur, cum eruditionibus ad ista pertinentibus.

VI.

Varie sententiæ de numorum origine, & inventione: alii eam deducunt a Caino, vel Tubalcain ante diluuium: alii vero tribuunt Jano, Saturno, Phidoni, Lydiis, Jono &c. Non est satis probabile, numos ante diluuium fuisse percussos.

VII.

Qua ratione primo commercia fuerint instituta usque ad numi inventionem. Ostenditur e S. Scriptura, numi cusi & signati primum locum fuisse regionem Chanaan, primum tem-

Epitome Libri VI.

pus Abrahami ævum; & primum numum signatum fuisse siclum.

§. II.

Varietas Numorum.

VIII.

Varietas desumitur a materia, & a forma. Materia numi communiter fuit æs, argentum, & aurum, aliquando etiam fiebant e ferro, stanno, plumbo, corio, testa, cortice arborum, & papyro.

IX.

Forma numi tum a figura, tum a characteribus desumitur. Figura numi fere rotunda semper fuit. Characteres partim indicant quantitatem & valorem numi, partim cujus auctoritate, & quo tempore cusi fuerint. Figurarum seu typorum variarum brevis catalogus.

X.

Agitur de potestate cudendi monetam: item de Censoribus, & Spectatoribus
nu-

Epitome Libri VI.

numi apud Romanos, deque Numulariis, Mensariis & Trapezitis. Pœnæ adulterantium pecunias.

XI.

Post Reges expulsos potestas cudendi numos penes Senatum fuit: tum ad Cæsares & Reges transit, ab his potestas hæc multis Principibus, Provinciis, & civitatibus concessa fuit. De primo aureo, quem Ducatum dicunt.

CAPUT III.

OECONOMIA NUMORUM.

§. I.

Numi Romani.

XII.

Oeconomia hæc præcipue in tres classes dividitur: in numos Romanos, Græcos, & Hebraicos. Exhibetur schema valoris hodierni, ad quem numi trium harum classium reducuntur. Agitur de Asse, Sestertio, Quinario, Denario, Talento, & singulæ hæc species

Epitome Libri VI.

cies numorum explicantur, additis variis eruditionibus.

XIII.

Appendix ad numos Romanos, ubi de signis & figuris eorum; de asse, ejusque partibus in dividenda hereditate usitatis, ac de censu Romano, ejusque origine disseritur.

§. II.

Numi Græci.

XIV.

Agitur de Obolo, Drachma, Bove, Statere, Mina, & Talento, ac rebus ad hos numos pertinentibus: ostenditur, qua ratione Græci numerum annorum numis suis inscripserint.

§. III.

Numi Hebraici.

XV.

Agitur de Asse, Obolo, Drachma, Didrachmo, Siclo, Argenteo, Mina &

Epitome Libri VI.

§ Talento. De talentis auri & argenti, quæ David reliquit Salomoni pro templo ædificando.

XVI.

Adjiciuntur quædam observationes de pondere: de statua Nabuchodonosoris: de numis aureis: de assipondio: de libripende: de ponderatione pecuniæ apud Romanos, Græcos, & Hebræos. Scriptores de re numaria indicantur.

CAPUT IV.

STUDIUM REI NUMARIÆ.

§. I.

Requisita ac hoc studium.

XVII.

Numismata a Magnis Principibus causa fuerunt tum ad delectationem, tum ad eruditionem; & vocabantur Missilia. Requisita ad hoc studium sunt, nosse 1. originem numismatum.

Epitome Libri VI.

2. ætates & periodos illorum. 3. pretium & æstimationem.

XVIII.

4. ordinem & classes numismatum, quarum quinque sunt: Regum, Civitatum & Coloniarum, Consularium, Imperatorum, Deorum Dearum & Heroum.

XIX.

Alia requisita ad hoc studium. 1. notitia Græcæ ac Romanæ historiæ. 2. Geographiæ ac Chronologiæ. 3. scriptorum de re numaria. 4. inspectio numismatum. 5. peritia discernendi inter ficta & vera numismata.

§. II.

Scriptores & Chalcographi numismatum.

XX.

Enumerantur Scriptores & Chalcographi numismatum veterum secundum

Epitome Libri VI.

*duum seriem annorum ab anno 1517.
usque ad annum 1617. Subjungun-
tur alii recentiorum usque ad nostra
tempora.*

XXI.

*Differitur de numismatis recentioris
ævi, & qui de iis scripserint. Agitur
de numismatis Pontificum, eorumque
excellencia: item de singulari collectio-
ne numismatum, quæ ubique gentium
cusa fuerunt in honorem Immaculatæ
Conceptionis Deiparæ.*

CAPUT V.

COGNITIO NUMISMATUM.

§. I.

Pars aduersa.

XXII.

*Explicatur, quid sit pars aduersa
seu Antica, quid pars auersa seu
Po-*

Epitome Libri VI.

Postica numismatum. Prior continet effigies Augustorum, Regum, Consulium &c. Agitur de ornamentis & parergis, præcipue de coronis, & tegumentis capitum.

XXIII.

Effigies Deorum ac Dearum, aliarumque quæ muliebri habitu comparent in numis, una cum earum signis & symbolis, quæ ordine alphabetico recensentur.

§. II.

Pars aversa.

XXIV.

Hæc continet quinque classes rerum, Inscriptiones; Instrumenta varia: Animalia: Figuras: signa Coloniarum. Differitur de Inscriptionibus diversis, quarum tredecim enumerantur.

XXV.

Epitome Libri VI.

XXV.

Differitur de Instrumentis, & ordine alphabetico explanantur.

XXVI.

Differitur de animalibus, quæ symbola & signa sunt variarum rerum. Eorum catalogus.

XXVII.

Differitur de figuris diversarum Provinciarum ac regionum, eodem ordine alphabetico.

XXVIII.

Differitur de Coloniis, & earum signis, quibus discernuntur. Ostenditur amplitudo Romani Imperii e Coloniis per totum orbem deductis.

CAPUT

Epitome Libri VI.

CAPUT VI.

**COGNITIO RERUM E NUMIS-
MATIBUS.**

§. I.

Cognitio Familiarum.

XXIX.

*Explicantur prænomena, nomina,
& cognomina Romanarum Fami-
liarum, unde ortum traxerint, & e
quibus fontibus provenerint, scilicet
vel a Majoribus, vel ab urbibus & po-
pulis, vel a quadrupedibus, vel ab ali-
quo ministerio.*

XXX.

*Cognomina tum a virtute ac mori-
bus, tum ab arte & studio: tum ab
urbe ac regione deviēta, tum ab aliis
eventibus, petebantur. Hæc omnia
e numismatis addiscuntur.*

Epitome Libri VI.

§. II.

Cognitio Magistratum.

XXXI.

Agitur de Magistratibus sacris: de Pontifice Maximo: de Augure: de XV. Viris: de Flaminiis: de VII. Viris Epulorum. Horum insignia, e quibus dignoscuntur.

XXXII.

Agitur de Magistratibus profanis: de Consule, de Censore, de Præatore, de Ædili Curuli, de Quæstore, de VII. Viris, de Dictatore, de Imperatore. Exponuntur istorum insignia, quæ in numismatibus videre est.

§. III.

Cognitio Prærogativarum & Titulorum Imperialium.

XXXIII.

*Differitur de Titulis: Imperatoris, Cæsaris, Augusti, Patris Patriæ,
Pon-*

Epitome Libri VI.

*Pontificis Max. Pii, Felicis, Domini
Nostri, Germanici, Britannici &c.
Principis Juventutis. Hi tituli ex
numis Augustorum deteguntur.*

§. IV.

*Cognitio rerum præclare gesta-
rum & virtutum.*

XXXIV.

*E numismatis monstratur, quali-
bus symbolis, signis & figuris, ac or-
namentis res Majorum præclare gestas,
virtutes, beneficia expresserint Roma-
ni. Texitur Catalogusejusmodi rerum
ac virtutum. Adduntur sigilla &
inscriptiones Imperatorum Christiano-
rum. Ad calcem adjiciuntur Notæ
Compendiariæ in latinis numis occur-
rentes.*





LIBER VI.
DE
RE NUMARIA.

CAPUT I.
PRETIUM ET UTILITAS
HUIUS REI.

§. I.
Præstantia.

I.

Multa quidem sunt, quæ literatis hominibus, horumque immensæ cupiditati ac pertinaci studio penetrandi in rerum etiam remotissimarum notitiam edax licet tempus reliquit, venerandæ antiquitatis monumenta: Exstant adhuc libri vetustissimorum scriptorum, viginti & amplius seculorum æta-

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VI. A tem

tem excedentium, e quibus & res a Veteribus præclare gestas, & scientiarum omnium prima elementa ac fundamenta haurire licet: Exstant columnæ, statuæ, pyramides, obelisci, inscriptiones, arcus triumphales, amphitheatra, picturæ, aliæque vel urbium ruinis ac incendiis subducta, vel e tumulis & terræ visceribus eruta, quæ priscorum hominum ingenia, eximias artes, atque industriam incredibilem non sine admiratione nobis exhibent, & veluti produnt. Ausim tamen dicere, ex his omnibus nomumentis nullum aliud magis venerationem nostram, æstimationem ac curam mereri, quam Veterum numos, & numismata. Nam eorum libri, de quibus dixi, sæpe magnam partem mutili, aut hiatibus pleni, aut ob describentium seu oscitantiam seu imperitiam non sine mendis plurimis ad nos pervenere: non raro solum fragmenta supersunt. Columnæ autem, statuæ, inscriptiones, aliæque operum publicorum reliquæ vel barbarorum furore truncatæ, vel exesæ a vetustate, vel auctoris & actoris, ævi, locique memoria exutæ conspectui nostro se sistunt, divinationibus & litigiis plurimis ansam præbentes. Soli numi & numismata communem vetustatis cladem evasere, non absque grandi temporum nostro-

strorum emolumento, utpote quæ cunctis tempestatum injuriis superiora & heroum imagines, & rerum gestarum symbola, & nomina, & annorum signa palam præferunt, eruditis atque in arte ista peritis facili negotio, & absque multa hariolatione dignoscenda. Ut nihil dicam, prioris generis monumenta ejusmodi esse, ut loco moveri plerumque non possint, atque ita paucorum, nec nisi ad longa itinera conficienda bene numatorum aspectui se indulgeant, quum non omnibus Corinthum adire datum sit: ista vero peregrinationibus dudum adsueta ex unius in alterius manum transeant, atque in plurimis Europæ cimeliarchiis Principum, ac literatorum hominum hospitio excepta liberaliter intuenda se præbeant. Equidem non desunt, qui rei hujus studium miserum temporis diverticulum, aut omnino dispendium esse sibi persuadent, atque etiam aliis persuasum esse cupiunt, quia totum illius negotium curioso numismatum intuitu, effigierum cognitione, venatione characterum, & signorum interpretatione arbitraria absolvi credunt. Sed me hercle magnopere hi falluntur: latiores sunt fines hujus studii, immo amplissimus eruditionis campus in illo & per illud stat apertus. Ut paucis hoc in loco di-

cam, quæ alibi pluribus sum expositurus, intelligimus numismatum ope Deos Deasque Præsides, quas virtutibus, moribus scientiis & artibus præfecerunt Veteres: functiones, instrumenta & ceremonias, quas in sacris adhibuerunt ministeriis: eorum templa, sacrificia, hostias, vasa, tumulos, & apotheoses: detegimus opera quæ struxerunt magna, qua publica qua privata, uti theatra, circos, porticus, pontes, arcus triumphales, fontes & thermas: legimus victorias, trophæa, diversas coronas & præmia bellica, civitatum & provinciarum debellatarum insignia, vestes, armorum genus omne: Effigies tot magnorum heroum ac Cæsarum periissent, nisi eas numismata subtraxissent oblivioni posterorum, ac senescentis ævi tenebris. Horum pulchra indoles, & characterum nobilitas conservavit id, quod Veteres perennare voluerunt. Quid? quod non modo vultus & imagines Principum ac Virorum Illustrum, eorumque facinora præclara, sed multa insuper hieroglyphica, symbola, emblemata, & pleraque hujus generis, quæ ingeniosa antiquitas parturiit, variarum rerum argumenta innotescant e numis, quæ etiam nostro seculo, & moribus nostris non inveniuste conveniunt, ac pro rei natæ occasione

sione queunt accommodari. Ipsa adeo animalium, rerumque naturalium, quin & nominum propriorum, ac sinceræ orthographiæ notitia e numismatibus non obscure potest erui, quorum omnium, quæ hucusque commemoravi, testes luculenti sunt tot eruditi, qui hodie circumferuntur, libri de re numaria, totaque illius supellectile tractantes.

II.

Quapropter qui colligendis, celandisque numismatibus operam & artem suam contulere, profecto & de tota antiquitate, & de omni posteritate quam optime meriti sunt. Nam illarum rerum memoriam æternitati transcripserunt, quarum cognitio majoribus nostris perquam honorifica, nobis autem oppido utilis est, quin & quandoque necessaria, quum ad omnium manus ipsa numismata in ære, argento, aurove, sæpe tam rara quam pretiosa, devenire nec soleant, nec possint. Maximam, si non primam, hac in opera laudem tulisse videtur Hubertus Goltzius, Herbipolita, (alii in Geldriæ urbe Venlo natum asserunt) qui tanto in artem istam studio amoreque ferebatur, ut profuso patrimonio varias Europæ provincias peragrare, & ad clarissimorum virorum biblio-

bliothecas invifere non dubitarit, habita ubivis locorum & gentium infpectione numismatum, aliorumque quæ folers industria comparavit, mirabilium, quæ omnia poftmodum Vir improbi laboris in plures libros digeffit, atque ex illis Cæfarum, Imperatorumque Romanorum hiftoriam vix non collapsam reftituit. Non minus Abrahamus Ortelius, Cosmographus Regius, omnisque antiquitatis cultor insignis inter felectam librorum fupellectilem etiam numismata cujusvis generis fuma omnium admiratione collegit. Plurimum quoque debet incrementi res numaria Carolo Crojjo, Principi de Arfchot, qui thefaurum ingentem numismatum, unde unde poterat, congeffit immenfis fumtibus, quæ poftea Antverpiæ typis expreffa fuerunt, fcilicet numismata aurea a Julio Cæfare ufque ad Heraclium Imp. item aurea, argentea, ærea ab eodem Julio Cæfare ufque ad Valentinianum Auguftum. Sacra etiam tiara & purpura infignes Viri non defuerunt, qui hoc ftudium impenfe colebant: Lævinus Torrentius, Epifcopus Antverpienfis, qui pietatem cum eruditione pulcherrimo fœdere conjunxit, veterumque rerum æftimator fimul ac admirator fummus erat. Hic quando- cunque nactus eft otium ab Ecclefiæ fibi con-

concreditæ functionibus, vel sacrum aliquod poema, in quo genere excelluit, pangendo, vel rei numariæ studium tractando tempus omne transigere visus est: neque solum grandem numerum ejusmodi thesaurum comparavit, verum etiam XII. Cæsarum res gestas docto commentario numismatum divite illustravit. At nescio, an ullus negotium hoc ita perfecit, ac celebris Vir Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, qui numismatum ænigmata editis undecim dialogis (quos in latinam linguam postea transtulit Andreas Schottus Soc. Jesu, & ipse eruditionis fama clarissimus) tam dilucide exposuit, ut antecedentibus palmam, sequentibus laborem præripuisse sit visus. Post hos Cæsar Baronius Cardinalis, inclytus ille Ecclesiasticorum Annalium scriptor numismatum imagines ac inscriptiones ad historiæ & antiquitatis demonstrationem frequenter adduxit, certo argumento, quantum & hoc studio delectatus, & quam præclare in illo versatus fuerit; id quod etiam doctissimus Pagius in criticis ad Annales Baronii animadversionibus historiæ subsidia e Priscorum numis petendo liberaliter præstitit. Hujusmodi pulchra vestigia passim quoque occurrunt in Actis Sanctorum, seu

vastis Bollandistarum, ut nuncupari solent, Tomis, in quibus multas res gestas Sanctorum vetustate propemodum jam oblitteratas numismatum & inscriptionum ope in lucem protrahunt hi Viri eruditissimi. Patet igitur, ut opinor, satis clare, quanta sit rei numariæ præstantia, quæ tot rerum antiquarum vix ulla cæteroqui indagine deprehendendarum notitiam subministrat, & cui operam suam addixerunt tot sanguine, dignitate, ac eruditione illustres Viri, hoc præsertim ævo nostro, quo passim in Regum, magnorumque Principum aulis (ut nihil de privatorum quorundam ædibus dicam) inter alia pretiosa seu natura seu arte factorum monumenta elegantes ac nobiles numorum veterum collectiones magno studio adservantur, ac hospitibus & rerum curiosis exhibentur. Sed ad majora pergamus.

§. II.

Utilitas rei numariæ.

III.

Eruditionis & Antiquitatis studium tam arcto inter se vinculo utrumque connexum est, ut unum sine altero subsistere

re nequeat. Nam præsentia cognoscere, quæ omnium sermone circumferuntur, cuius facile licet, qui non rerum, quæ in mundo geruntur, omnino est ignarus: at scire, quæ præterita sunt, & quidem a nostris temporibus valde remota, eaque nosse cum præsentibus conferre, sibi que familiaria reddere, id demum est, quod Eruditi hominis nomen alicui conciliat; quoque majorem quis notitiam vetustatis sibi compararit, eo altiozem etiam in regno eruditionis gradum occupabit. Ad hoc autem tria sunt, quæ vel maxime operam suam conferunt, nimirum historia, chronologia, & geographia: prima, quæ præclara priscorum facinora, & res memoratu dignas suppeditat: altera, quæ temporis, quo factæ sunt, rationem prodit: & tertia, quæ locum, ubi contingere, palam facit. Exemplo ut rem declarem satis obvius, incidat forte sermo de Scipione, de Alexandro Macedone, de Mose populi Israelitici duce, de Constantino aut Carolo M. si sola scias nomina, quod fuerint aliquando in orbe, & quinam: quæ vero fortiter gesserint, quo tempore vixerint, quæ loca victoriis aut factis suis illustrarint, si hæc inquam nescias, nunquam e militum gregariorum numero ac supra vulgus li-

teratorum emerges. Itaque opus est homini eruditionis studioso multa lectione librorum Historicorum, præsertim Veterum, & satis exacta chronologiæ ac geographiæ notitia. Verum ad has ipsas disciplinas, ut firmum in iis pedem figere liceat, plurimum sane utilitatis res numaria contulit, & confert etiamnum. Quippe ut jam monui, optimorum, qui eas tractarunt, Scriptorum lucubrationes ætatis vitio aut truncatæ, & ut ita dicam, sine manibus & pedibus, aut lacunis hiantes, aut scribarum mendis quamplurimis opletæ, sæpe etiam aliena inscitia vel mala fide depravatæ ad nos pervenerunt: quin quod pejus, non raro ipsi in graves errores lapsi sunt, quod facile patet, dum tot tantaque inter se pugnancia non pauci eorum nobis enarrent. Profecto e Polybii libris quadraginta, primi duntaxat quinque, & duodecim sequentium synopsis superest: quadraginta item libris Diodori Siculi bibliotheca constat, sed præter fragmenta quædam aliorum tantummodo quindecim alii evaserunt interitum: Cornelii Nepotis lucubrationes multæ perierunt, uti & Curtii duo primi libri, & quinti finis: Suetonii historia Cæsarum acephala est. Appiani historiam valde mutilam accepimus: & Dionis Cassii nonnisi lacinias aliquot,

quot, atque ex græca historia Velleii Paterculi pauca fragmenta, aliorum vero scriptorum reliquias in duos libros divisas; In Livio Decadem secundam totam desideramus, & in quinta mediam fere partem. Plutarchus & Laertius in vitis Virorum Illustrium multa narrant, quæ sibi opponuntur: Velleium Paterculum in dilaudando Seiano modum & fidem excessisse tradit Tacitus: ipse autem Tacitus in multis ob fidem & sinistras affectiones apud criticos vapulat. Herodotum corrupisse historiam arguunt Plutarchus & Ctesias: contra vindicare ejus in scribendo integritatem conatur Halicarnasseus. Livius plus æquo favet Pompeio, quam Cæsari: contra Dio plus huic quam illi. Tacitus ubique laudibus extollit Germanicum, Paterculus vero ubique eum insectatur, ut placeat Tiberio: Josephus in antiquitatum Judaicarum proœmio Historiæ a Mose aliisque scriptoribus elucubratæ demtuum se nihil, aut adjecturum promisit, fidem tamen in utroque fefellit; plura enim ex suo addidit, alia consulto præterire visus: maximis prodigiis, quæ in historia sacra referuntur, aut majestatem tollit, aut fidem minuit, ne suæ gentis odium incurreret. Ex his modo palam est, etiam post tot veterum scriptorum

monu-

monumenta literaria, quæ in manus nostras pervenerunt, & oculis quotidie obversantur, multa fuisse tum in Græca, tum in Romana, tum in Judaica historia, quæ vel omnino ignoravimus, vel de quorum fide merito dubitare licuit, vel quæ meritis adulterinis adnumerare fas erat. Huic morbo sane gravi medicam manum adtulit rei Numariæ studium, quod solum potuit. Quippe omnia illa, quæ hoc in negotio in errorem inducere, aut saltem errandi periculo exponere quemquam possunt, quemadmodum sunt auctoritatis legitimæ defectus, documentorum penuria, oscitantia, ignoratio, sinister affectus, aut memoriæ lapsus, omnia inquam ista sustulit. Numi enim Veteres cusi signatique fuerunt publica auctoritate & Senatus Consilio: signati eodem, quo res gestæ sunt tempore: signati summa cum industria, ut nescias, an metalli an laboris pretium majus sit: signati tanta copia Consulium, Regum, Imperatorum, Urbium, populorum, qui suam illis effigiem ac majestatem indullerunt, tantaque varietate rerum bello ac pace gestarum, quæ omnium ore celebrantur, ut fidem illis tanquam testibus eorum, quæ recens facta fuerunt, negare idem foret, ac totum orbem publici mendacii arguere.

Neque

Neque solum historiae veteris lacunas explevit res Numaria, verum etiam Regum, & Augustorum chronographiam restituit, illorumque sibi succedentium seriem continuam edocuit. Nam qui e praeis scriptoribus Illustrium harum personarum facta descriperunt, de magnitudine ac claritate rerum exponenda plus erant solliciti, quam de temporum ratione ineunda. Unde factum, ut vel praetermissis iis, qui ævum suum duntaxat vitiorum fama funestarunt, vel aliorum heroum egregiis facinoribus admixtis, Consularium Virorum, Regum, ac Imperatorum ordo ac series chronologica his intervallis magnopere turbata fuerit. Ubi vero numerum veterum lux accessit, subito chaos istud emendatum vidimus, instauratas dominantium series, atque historias varias meliori temporum ordine digestas. Conspicere hoc licet in Goltzii Fastis Consularibus, & Vaillantii historia de Imperio Seleucidarum, seu Regum Syriae & Ægypti: in Harduini libro de numis Herodiadum, & numis populorum ac urbium: in Norisii epochis Syro-Macedonum: in Begeri & Spanhemii operibus de variis regibus & regnis. Non minus emolumentum res Numaria praestitit Geographiae emendandae, ad quam pertinet locorum nomina, situm,

fitum, originem, fertilitatem, mores Incolarum, arma, vestes, ritus, religionem, politiam, & quæ sunt alia, luculenter describere. Hæc omnia exhibent numi Veteres non minus eleganter quam fideliter, vel palam vel symbolice, id quod patet inspicienti præclaram Abrahami Ortelii geographiam, ubi ad prodenda urbium nomina numismatum subsidio liberaliter usus est: item Harduini laudati numos octoginta aliquot supra centum, in quibus urbium complurium effigies adnotato situ clare satis & curate exprimuntur: nec non Cellarii de antiqua geographia opus eruditum, in quo de populorum ritibus, armis, & moribus plurima numis veteribus constabilita leguntur. Hæc quum secum probe perpenderet idem Joannes Harduinus Soc. Jesu (a) ut erat homo acerrimi judicii, adserere non dubitavit: *Adjicimus subinde veteres numos, quorum testimonio adferri humanum certius nullum potest.*

IV.

Ne autem angustos nimium limites, scilicet intra solam historiam, ejusque comites chronologiam & geographiam, rei

(a) *In Chronol. Vet. Test.*

numariæ utilitati ponere videar, non minora sunt alia, quæ aliis quoque artibus & scientiis palam adfert, illius emolumenta. Ut nihil dicam de pictorum & sculptorum honestissimis Facultatibus, quibus numismatum diligens consideratio plurimum prodest ad effigies Deorum Dearumque, Augustorum, Regum, Belliducum, Virorum ac fæminarum illustrium, ad insignia & arma, ad vestimentorum varia genera, ad structuras templorum, arcuum, trophæorum imagines coloribus vel scalp pro rite decenterque formandas, quum ejusmodi numi plerumque ad omnem elegantiam & artem a priscis fuerint elaborati: ut inquam de his nihil dicam, numorum pondus & valor, ac utriusque notitia Medicæ ac Pharmaceuticæ arti non modicum adfert subsidium ad intelligendos Veterum Machaonum libros, utpote qui medicamenta sua componere miscereque consueverunt ad pondus nunc denarii, nunc victoriati, nunc drachmæ, nunc oboli, nunc libræ &c. quæ priscorum numorum, ac ponderum nomina esse certum est. Jurisperiti quoque magnam inde utilitatem consequuntur ad varias Juris Civilis leges & rectius percipiendas, & eruditius explicandas, ut quum questio instituitur, quodnam sit pretium vi-

gin-

ginti librarum, viginti solidorum &c. (b) qua ratione LXXII. solidis libra auri feratur accepta (c). Quomodo pro singulis libris argenti quinque solidi inferri jubebantur ab Imperatore (d). Quantum nostratis pecuniæ faciant dena sestertia, quæ Claudius Cæsar Advocatis concessit: quomodo distinguendum sit inter monetas: nam Jurisconsulti in infecta *pondus*, in signata *numerum*, in facta *speciem* observant (e). Quid in hæreditatibus dividendis nomine trientis, quincuncis, semissis, assis veniat (f). Præterquam quod scientia Juris Publici Romano-Germanici absque historia veterum temporum, hæc vero absque numismatum cognitione ac intelligentia plane sit jejuna & manca. Denique Theologis quantum S. Scripturæ, tantum rei quoque numariæ studium non utile solum, sed vix non necessarium esse videtur, quoniam hoc destituti ignorabunt, quid sint pondera & numi, quorum frequens sane mentio fit in ejusdem Scripturæ pluribus libris, ut, sicali, stateris, denarii, drahmæ, didrach-

(b) *Lib. 2. Feud. de pace tenenda.*

(c) *L. quotiescunque. C. de susceptoribus.*

(d) *L. unica. C. de argenti pretio.*

(e) *L. Si in rem. ff. de rei vindicatione.*

(f) *ff. de hered. instit.*

drachmæ, minæ, talenti (quorum multa millia expensa fuerunt in structuram templi Hierosolymitani) & argentei, quorum 20. venditus est Ismaelitis Joseph, & Christus 30. Judæis. Hinc tam solícite S. Codicis interpretes in istud eruditionis genus inquisierunt: aliqui etiam, inter quos Villalpandus & Tirinus, præviis commentariis rem numariam illustrarunt. Hæc de præstantia & utilitate rei hujus dixisse sufficiat ad excitandum studii, de quo agimus pulcherrimi gustum.



CAPUT II.

HISTORIA REI NUMARIÆ.

§. I.

Origo numorum.

V.

Quoniam ad numismatum scientiam, & inde profluentem eruditionis thesaurum perveniri haud potest, nisi per notitiam numorum, iccirco de his curatius agendum mihi esse video. Et

quidem primo loco nosse oportet, quid sit numus, quid numisma, quid moneta, quid pecunia, quæ nomina passim pro eadem re significanda adhibentur, cum peritis tamen discrimen aliquod est faciendum. Numus itaque græca vox est ἀπὸ τῆ νόμῳ, id est, a Lege. Nam primis temporibus homines permutationis beneficio, dum pro his rebus aut mercibus aliæ res ac merces exhibebantur, mutuum exercebant commercium. Postmodum ut publica perpetuaque æstimatione permutationum difficultatibus subveniretur, & rerum inæqualium pretia ad æqualitatem revocarentur, numus a Lege introductus fuit. Hunc si ad scholæ normam finire placeat, est metallum (æs, vel argentum, vel aurum) legitimi Magistratus auctoritate publica, formæ eaque fere rotunda signatum inscriptumque, & certa magnitudine, debito justoque pondere, ut de valore ac pretio constet, percussum. Tria igitur sunt, quæ in numo requiruntur, nempe materia, pondus, & figura: materia numi sumitur a substantia æris, argenti &c. pondus a quantitate; forma seu expressa effigies & nota a qualitate. Ab his numis dicuntur numuli, qui sunt majoribus commutandis idonei; & qui hos numeratos

ratos exhibent, atque cum iis negotiantur, Numularii adpellantur, quales erant, quos Servator e Templo Solymæo ejecit, dicente Evangelista; & *Numulariorum æs effudit.* Numisma apud Antiquarios non ita late patet, ut numus: neque enim numismata illi accipiunt eo in usu, quo numos, scilicet ut emendo vendendoque serviant instar pretii & pecuniæ, sed familiari usitataque phrasi numismata vocant, quæ vulgari adpellatione alii dicunt *Medallia* a metallo auri, argenti, vel æris, e quo conficiuntur, ita ut non sint obviæ cujusvis, sed *prisca moneta* numi, qui ob vetustatem raritatemque suam studiose adservantur. Hinc Pomponius Juris Consultus (g), dum numismatum aureorum argenteorumve meminit, ea pro gemmis adhiberi soletē dixit, atque ex his non minus quam illis usum fructum legari posse: & Horatius (h) regalia nuncupat, dum de moneta a Philippo Macedonum Rege percussa canit:

Rettulit acceptos regale nomisma Philippos.

At

(g) L. 28. ff. de usu fructu.

(h) Lib. 2. epist.

At monetam scriptores a monendo dictam volunt, eo quod signi impressione, ac inscriptione Auctoris, temporis, ponderis & valoris nos admoneat, ne qua fraus in ea expendenda recipiendaque committatur. Ita Romani Junonem olim *Monetam* nuncupabant ea de causa, quod ab illa per anseris vocem de imminente periculo arce capiendæ moniti fuerint, ut Lucanus meminit:

Numina Castrensis miscebit flamma Moneta.

Ac Tullius (i) post cladem, inquit, maximam a Senonibus Gallis factam audita vox ex arce Junonis fuit, ex quo illa vocata est *Moneta*, scilicet a monendo. Ovidius vero jam olim inter priscam & novam monetam discrimen fecit, dum cecinit (k).

Æva dabant olim, melius nunc omen in auro est,

Victaque concessit prisca moneta novæ.

Demum pecunia nominis sui etymologiam debet pecori vel ob materiam, vel ob formam. Materiæ originem adscribit Isidorus (l) dum ait: pecuniam dictam esse, quod

(i) L. I. de Divin. (k) L. I. Fast. (l) L. I. 16. etymol. c. 17.

quod numi de pecudum corio incisi & signati fuerint. At Varro, Plinius, Plutarchus & Gellius formæ eam tribuunt, atque pecuniam a pecu vocatam esse contendunt, scilicet ab effigie ovis, vel bovis, aut suis, quam æs primum a Romanis signatum præsefererat; neque absque mysterio, quum a pecudibus istis potissimum facultates suas tunc habebant Romani. A pecunia peculium derivatur, quasi parva pecunia, sive pusillum patrimonium, quod servus Domini permissu separatum a rationibus Dominicis habet, ut cautum est in Jure Civili (m), & est, quidquid alicujus labore ac industria partum est.

VI.

Detecta vocum etymologia ad numorum originem transire juvat. Non solum necessitas, aut indigentia, vel inopia, sed vel maxime utilitas atque commoditas numi parens fuisse, primaque illum invenisse merito dici potest. Quum enim tot diversæ rerum species, quas usus quotidianus qua publicus qua privatus postulat, facile permutari nequirent, inventus est numus, certa mole ac pondere percussus, nota valorem indicante signatus, & legitima

(m) *L. Si. ff. de peculio.*

ma auctoritate munitus, qui rebus permutandis succederet, earumque vel defectum vel pretium suppleret, promoveretque commercium commoda contrahentium expeditaque facultate. Vix enim fieri poterat, quin aliqui in variarum rerum permutationibus, si numus non interveniret, defraudarentur, & simplices circumvenirentur a callidioribus. Agnovit hoc Aristoteles (n) dicens: *Itaque omnia, quorum est commutatio, talia esse oportet, ut quodammodo inter se comparari possint; ob quam causam numus in usum venit, quia quoniam omnia metitur, fit quodammodo medium, scilicet inter id, quod datur, & quod accipitur.* Est igitur nobis numus, ut cum Ulpiano loquar, velut fidejussor, quum æquum sit, ut qui hunc adfert, accipiat, quod ei respondet: omnia enim paria facit, quum omnia numo æstimentur. Hinc Plato (o) in sua Republica ad omnem æquitatis normam constituta, ubi privatorum nulli licere sanxit quidquam auri argenteive possidere, numum excepit: numus enim, inquit, quotitidianæ permutationis causa, qua & artifices utuntur, propemodum necessarius est, ut operariis, servis, & ad-

venis

(n) L. 5. *Ethic. ad Nicomachum c. 5.*(o) L. 5. *de Leg.*

venis merces solvatur, quorum gratia numum possidere concedimus. Atque hæc satis plana sunt.

Jam vero, quis apud varias gentes primum æs, argentum, vel aurum percusserit, signaveritque, res est admodum controversa. Qui a remotissimis temporibus, ipsumque diluvium præcedentibus, originem numi petunt, cum Josepho ajunt (p), Cainum ingentes opum & pecuniarum facultates per vim & rapinam accumulasse, ac tandem ædificata civitate Henochia, quam domesticis suis habitandam tradidit, pondera & mensuras ad exercenda commercia eis præscripsisse: Porro in septima Caini generatione artes illas, quæ reipublicæ conservandæ augendæque usui maxime solent esse, inventas fuisse a tribus Lamechi filiis, inter quos Tubalcain, de quo Scriptura S. inquit (q): *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit Malleator & Faber in cuncta opera æris & ferri.* Censet itaque Josephus, quem Villalpan- dus & alii sequuntur, Tubalcain artem ferrariam & ærariam primum perfecisse, utpote qui metalla fundere, malleo diducere, formare ac expolire docuerit, atque ita & monetas seu numos primum cudisse,

tan-

(p) *L. i. antiq. c. 3.* (q) *Genes. 4.*

tanquam rem ad civitatis & reipublicæ commoda oppido necessariam. Verum ultra conjecturæ fines hæc opinio non egreditur. Aliam ineunt viam profani scriptores: Macrobius (r) & Eutropius (s) Jano ac Saturno inventionem numi adjudicant. Primus quidem narrat, Saturnum cum classe sua in Italiam profectum a Jano fuisse hospitio liberaliter exceptum, ubi quum ille ruris colendi peritiam Janum docuisset, ab hoc in regni societatem adlectum esse: quumque Janus primus æra signaret, in Saturni reverentiam eusum fuisse numum, in cujus una parte Jani bifrontis effigies, in altera navis rostrum (quoniam Saturnus navigio advectus fuerat) exprimebatur. Atque hujus sententiæ Ovidium quoque fuisse satis constat, dum velut interrogando canit (r):

*Multa quidem didici; sed cur navalis
in ære*

*Altera signata est, altera forma bi-
ceps?*

Et mox sibi ipsi respondet:

*At bona posteritas puppim formavit in
in ære,*

Hospitis adventum testificata Dei.

Secun-

(r) *Lib. I. Saturnal.* (s) *Lib. I.*

(r) *Lib. I. Fast.*

Secundus vero, nempe Eutropius, auctor est, Saturnum æreos numos primum instituisse, quando in Italiam altera navigatione delatus fuit: unde apud Romanos ærarium fuisse erectum in Saturni æde, tanquam Custodis & Præsidis publicarum pecuniarum; quod & Plutarchus scribit (u). At Pollux (x) & Strabo (y) a Phidone primum numum signatum esse tradunt, quod posterior Phidoni Eleo, prior Argivo tribuit. Herodotus (z) Lydios omnium primos numum aureum & argenteum publico usui percussisse memorat, dicens: *Primi autem hominum, quos nos novimus, Lydii numo ex auro & argento percusso usi sunt.* Lucanus Jonum Thessaliæ Regem numi auctorem prodit his verbis:

*Primus Thessaliæ Rector telluris Jonus
In formam calidæ percussit pondera
massæ:*

*Fudit & argentum flammis, aurumque
moneta*

*Fregit, & immensis coxit formacibus
æra.*

*Illic, quod populos scelerata impegit in
arma,*

Divitias numerare datum est.

VII.

(u) In Publicola. (x) Lib. 9. (y) Lib. 9.

(z) Lib. 1. Histor. B 5

VII.

Verum ex hæctenus in medium allatis scriptorum testimoniis, tam inter se diversis, necdum vera numi origo patescit. Certe qui ad Cainum & Tubalcain ante diluvii tempora eam referunt, fines rei numariæ nimium liberaliter extendunt, & absque firmo in S. Historia vestigio: Illi vero, qui ex profanis scriptoribus varios numi conditores celebrant, arctiores quam par est limites ponunt, quum satis constet, ante horum omnium tempora numos percussos atque signatos in mundo jam comparuisse, ut mox dicam. Mihi, ut verum fatear, media via placet, eoque magis, quod omnium fere artium atque scientiarum, de quibus hæctenus egi, agamque deinceps, certa primordia apud populum Dei electum circa Abrahami & Moysi ævum in S. Historia, utique fide dignissima, deprehendere liceat. Itaque qui remotissimis seculis vixerunt homines, mercimonia sua exercebant permutando res cum rebus, v. g. triticum cum panno, panem cum calceo &c. At invento ac invalescente metalli usu constituebant certam illius molem, quæ universarum mercium vices subiret: hinc ære adpenso utebantur, non adhuc signato, sed rudi, atque non tam
for-

forma vel figura, quam pondere metalli æstimabant rerum pretia, ita ut qui rem alterius magni æstimatam comparare sibi vellet, magnum æris aut argenti pondus ipsi vicissim traderet. Successu temporis invalescente mercatura, quum pondus æris plusculum gravaret, molestumque esset semper adhibere bilancem, alio verterunt curas & ingenium: loco æris adpenſi cœperunt uti ære signato, seu tali, cui signum quoddam impressum erat, quo vel magna vel minor æstimatio, ac pretium politicum significabatur: atque æs hoc signatum ponderis longe levioris fuit, ita ut *as* seu pondo non jam esset amplius libra æris duodecim unciarum, ut antea, sed ne uncia quidem, solumque parvus ex ære numus, cui valore ac æstimatione respondent quinque quadrantes nostri, seu cruciger, ut vocant, cum una illius parte: Neque pretium jam a materia ejusque mole desumebatur, utpote quæ paullatim magis magisque imminuta fuit, sed a figura ut dixi numo impressa. Tempus autem, locum, & numi signati genus quale primum fuerit, cui tuto acquiescere possimus, e Geneseos historia habemus. Refertur enim in ea (a), Abrahamum postquam ex Ægypto

(a) *Genes. 23. v. 14. Esè.*

pto rursus in terram Chanaan ascenderat, petiisse ab Ephron agrum, in cuius extrema parte duplex spelunca fuit, ut in ea Saram uxorem suam vita functam sepelire posset: quem quidem agrum sponte ac gratis oblatum recipere noluit, nec aliter ac pro justo pretio empturum se ipsi Ephron declaravit Patriarcha. Hæc ubi narrat S. Scriptura, mox subjungit: *Responditque Ephron: Domine mi, audi me, terra quam postulas, quadringentis siclis argenti valet, istud est pretium inter me, & te: sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum. Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Hetb, quadringentos siclos argenti probata moneta publicæ.* Quæ ultima verba consideratione nostra dignissima sunt, quum vel maxime percussi apud Hebræos sicli vetustatem indicare videantur. Publica autem moneta dicitur, quæ auctoritate legitima cuditur; probata quæ justum pondus ac pretium habet, sive id, quod in tractandis rerum commerciis exponitur. Non minus eodem in libro S. Codicis (b) dicitur, Jacob Patriarcham emisse partem agri *centum agnis*, quem ipsum locum Scripturæ adducit S. Stephanus Levita, cum Judæis
in

(b) *Genes. 23. v. 19.*

in Synagoga disputans (c), interpretaturque dicens: emisse Abrahamum partem agri *pretio argenti*, scilicet centum numis argenteis forma *agnæ* signatis. Hac ipsa ratione in libro Job (d) legimus, singulos cognatos Jobo dedisse *ovem unam*, quod alii ex Hebraico vertunt *numum unum*, nempe figura *ovis* signatum. Quapropter quum ex una parte profana historia primæ monetæ signatæ auctores faciat Janum, Saturnum, Phidonem, Jonum, Lydios &c. (e) hi omnes autem sexcentis & ultra annis post Abrahamum & Jacobum vixerint: sacra vero historia Veteris Testamenti primam monetæ signatæ mentionem faciat, dum de Abrahamo, Jacobo, & Jobo loquitur, vero simillimum est, *primum tempus* introductæ pecuniæ signatæ ad Abrahami ævum, quo etiam Monarchia Assyriorum surrexit, mille & octingentis scilicet post conditum mundum annis, *primum locum* ad regionem Chanaam, in qua habitaverunt Patriarchæ, *primumque numum* percussum ad siculum referri debere. Impugnat quidem hanc opinionem Eruditissimus Calmet (f) negans Abrahami pecuniam fuisse signatam; idque hoc præcipuo ac fere unico persuasus argumento, quod

S. Scri-

(c) Act. 7. v. 16. (d) Cap. ult. v. 11. (e) §. antecedente. (f) In *Differs. de monet. Idobr.*

S. Scriptura disertis verbis dicat, Abraham *appendisse pecuniam* : pecunia autem signata appendi non soleat, sed numerari, utpote quæ pretium non a pondere, sed a valore per signum indicato acquirit. Verum facilis ad hoc argumentum responsio est : nimirum res hæc pertinet ad modos loquendi, quales non raro etiam diutissime perseverant, etsi ea, quæ verbis significantur, longe alia, quam antehac, ratione peragantur. Ita hodie adhuc dicimus *jaculari aves*, licet modo non jaculo configamus aves ut olim, sed glande plumbea e sclopo emissa : dicimus *majorum ceras ostendere*, non quod ut olim imagines istæ e cera sint effictæ : dicimus *hostem sub jugum mittere, prærogativam obtinere, nigro vel albo calculo notare, colophonem imponere, lituram facere, stilum vertere* &c. quæ omnia non eo nunc modo fiunt, quo quondam facta sunt : quin ut ad institutum propius accedam, dicimus etiamnum *pecuniam alicui appendere*, pro numerare ; *verba appendere* pro considerare loqui. Cur igitur S. Scriptura de Abrahamo dicere nequit, quod *appenderit pecuniam* pro numeraverit, retento scilicet pristino loquendi more, ubi pecunia necdum signata fuit, præsertim quum addat speciem pecuniæ, seu *sclos argenti probata*

batae monetae publicae? Sed certiora nunciare possumus de numis Romae signatis, longo licet post temporum intervallo: qua in re fere consentiunt Scriptores prisca, nimirum a Servio Tullo VI. Romanorum Rege (qui primus etiam censum civium instituit) aes primum Romae signatum esse circa annum M. 3388. & V. C. 176. quum antea nonnisi aëris rudis usus fuisset: argentum vero ibidem cūsum signatumque an. V. C. 484. auream denique monetam annos sexaginta duos post argenteam in Urbe fuisse percussam.

* *etiam moneta signata apperitur, si de-
cisa sit, et non §. II. perfecta et rursus*

Varietas numorum.

VIII.

Expedito sat difficili argumento de numi origine ad varietatem progrediamur, quæ profecto tanta est, quanta nationum in mundo diversitas. Ut vero certis finibus rem adeo late patentem circumscribam, tota ista varietas ad materiam & formam numi redigenda esse mihi videtur, utpote e quibus ortum suum trahit. Quantum igitur ad materiam adtinet, præcipua e qua numi cuduntur, triplex est. Latini vacant aë, argentum, & aurum: Græ-

Græci χαλκός, ἄργυρος, & χρυσός: Hebræi Nachûsch, Keseph, & Zachav. harum enim trium nationum numi ante alios celebres sunt, & peritorum indagini serviunt. Æris usus antiquissimus est, jamque ante diluvium de artefactis ex ære mentio fit in S. Scriptura, ubi Tubalcain vocatur *malleator & faber in cuncta opera æris & ferri*. Argenti vero & auri primum in eadem vestigium occurrit trecentis post diluvium annis (g), quando Abraham dicitur *dives valde in possessione auri & argenti*. Quum autem prima pecunia ex solo ære cujus cepta fuerit, tantis rationibus & ad libram expensa, necdum signata, factum est, ut omnis alia quocunque metallo constans æris adpellatione comprehenderetur. Inde natum est proverbium: *Qui non habet in ære, id est, in pecunia, luat in cute*: *Obœratus* quoque apud Livium & Cæsarem nuncupatur, qui est debitis gravatus: hinc etiam *Ævarium* derivatur, tam civile, seu locus, in quo omnis generis pecunia publica Romæ custodita fuit in æde Saturni, quam militare ab Augusto Cæsare institutum, e quo militibus stipendia soluta fuerunt.

Argentum erat præcipua materia, qua ad numos cudendos utebantur Græci & Ro-

Ro-

(g) Genes. 12.

Romani, qui postremi in tres veluti classes argenteos numos suos divisere, scilicet in Denarium, Quinarium, & Sester-
tium, quæ monetæ genera erant frequen-
tissima usque ad inclinationem Imperii.
Sumitur autem quandoque argentum pro
omni pecunia: ita Horatius: *Argenti
fitis & fames*, & Plautus *argentum locare
fœnori* dixit, id est, cum pecunia scœne-
rari. Aurum a Romanis durante Repu-
blica nonnisi purum sine ullius alterius
metalli admixtione ad monetam euden-
dam adhibitum fuit, & quidem ex Sena-
tus Consulto; quod a Dictatore Syllâ per
legem sibi cognominem, atque ab Augu-
sto per legem Juliam confirmatum est, te-
nuitque mos ille usque ad Alexandrum
Severum Imp. qui quintam partem argen-
ti cum quatuor auri partibus misceri per-
misit. Hinc sincerus aureus numus Ro-
manus haud reperitur, qui non sit ex au-
ro probatissimo confectus. Accipitur quo-
que aurum apud Veteres non raro pro
quovis numo, uti apud Virgilium legitur:
Auri sacra fames.

Quamvis verò, uti dictum est, numi
probi e triplici potissimum materia, vide-
licet ære, argento, & auro omnibus fere
seculis percussi fuerint, nihilominus alias
quandoque materias iis conficiendis adhi-

bitas fuisse satis certo constat. De Lycurgo prodit Plutarchus (h) quod monetam omnem auream atque argenteam e Lacedæmoniorum Republica proscripserit, ac soli *ferreo* numo magni quidem ponderis ac molis, exigui tamen pretii, auctoritatem in commerciis adtribuerit. Hoc eo fine Lycurgum fecisse tradit idem Plutarchus, ut pleraque facinorum malorum genera e sua Republica simul cum auro & argento proscriberet. Meminit quoque numi ferrei Byzantium introducti Plato Comicus (i) dum ait: *Difficulter Byzantii habitassemus, ubi ferreis numis nunc utuntur.* Numos e stanno percussit Dionysius Syracusanus ob argenti inopiam, & ut pro argenteis haberentur, publico mandato sanxit teste Aristotele (k). *Plumbei* numi usum tanquam abjectæ conditionis signum irridet Plautus (l) inquitens:

*Tace sis faber, qui cudere soles plumbeos
numos.*

Idem suo quo vixit ævo ex orichalco fabricatos fuisse numos his versibus testatur (m):

*Credo treis mihi homines orichalco
Ita emptos istis moribus.*

Ne-

(h) *In ejus vita.* (i) *In Pyandro.* (k) *Lib. 2. Oeconom.* (l) *In Mestellaria.* (m) *Plautus in Milite.*

Neque solum metallis hisce vilioribus monetae pretium tribuerunt Veteres, verum etiam corio & loro, unde numi *Scortei seu Coriacei*, & *Lorei* dicti sunt, quos aliquando per Carthaginensium manus & tabernas, ipsoque in foro circumivisse constat e Platonis Eryxia (n), quosque ita describit: *In pellicula exigua illigatum est, quanta est stateris amplitudo maxime; quid vero illigatum sit, nemo scit, nisi qui faciunt. Deinde hoc obsignato pro numo utuntur: Et qui hujusmodi numos plurimos possidet, is plurimas pecunias possidere, ac ditissimus esse videtur.* Platonis testimonio accedit, quod Suidas præbet, scilicet ante Numam Romanorum Regem per scorteos & testaceos pecuniæ usum fuisse expletum. Quin quod moneta e mori quoque *corticibus* a Tartarorum Imperatore Cham in urbe Combali, & apud Cathainos, gentem Indicam, e *papyro* forma quadrata regis imaginem præferente confecta feratur. Hæc de materia numi.

IX.

Forma illius tum a figura, tum a characteribus & imaginibus impressis desumitur. Figura plana & fere rotunda gaudent

(n) *Seu Dialogo de divitiis.*

dent plerique numi, ut ex antiquissimis illorum cuius patet, quam elegerunt credo prisca homines partim quoniam hæc figura reliquis omnibus perfectior est, partim quia ad tractandos manibus, & portandos in loculis commodissima videbatur. Characteres vero duplicis generis sunt: vel enim sunt notæ, quibus quantitas & valor numi significatur, quemadmodum animadvertit Aristoteles (o), dum ait: *Primum quidem omnino finitus est numus magnitudine & pondere: tandem vero & caractere impresso, ut a dimensione eos liberaret: caracter enim quantitatis nota constituta est*, ut si legas in denario Romano vetusto 10 ℥, in quinario 5 ℥, in sestertio 2½ ℥, id est, libras quas mole sua continent, aut quibus æquivalent: vel sunt *ἐπιγραφή* seu inscriptio literarum & nominum, nempe Principum, Civitatum, Coloniarum &c. quorum auctoritate, ac temporum, quorum decursu cusi fuerunt. Ejusmodi est ille, quem Corinthii dicarunt Augusto Cæsari, in cujus fronte legitur AVGVSTVS. CORINTHI. a tergo C. M IO. POLLIONE. IER. C. MVSSID. PRISCO. II VIR. id est, *Caio Heio Pollione iterum, Caio Mussidio Prisco Duumviris*. Et alius, cui una ex parte interi-

ptum

(o) L. I. c. 6. de *Repub.*

ptum est : IMP. GORDIANVS. PIVS.
 FEL. AVG. ex altera : P. M. S. COL.
 VIM. AN. III. seu *Provinciae Mæsiæ Superioris Colonia Viminacium anno quarto.*
 Imagines autem tot sunt, quot Imperatores, Reges, Principes Viri, Nationes, Respublicæ, Civitates, alique, penes quos vel eudendi auctoritas est, vel in quorum honorem numi sunt percussi, impressa fronti effigie aliqua, tergo autem nota quadam seu typo, Principi aut Nationi proprio. Juvat heic adtexere e Camera-rio catalogum brevem ejusmodi typorum veterum, secundum ordinem Alphabeti dispositorum : *Ætoli* in numo suo Herculem inciderunt, cornua Acheloi clava confringentem. *Alexander* Macedo bucephalum equum, item effigiem suam in solio sedentem, tenentemque manu avem; item victoriam alatam numis a se cufis inscripsit. *Argivi* lupum indiderunt, vel murem. *Asia* puerum delphino vectum. *Atbenienses* noctuam cum Palladis effigie. *Augustus* Casar sidus capricorni, sub quo natus erat. *Brutus* hinc imaginem suam, illinc pileum cum duobus pugionibus, symbolum liberalitatis adfertæ. *Byzantini* delphinum tridenti circumfusum. *Cbii* harpyiam. *Corinthii* pegasum cum Neptuno tridentigero sedente. *Cyziceni* leo-

nem. *Demetrius* Neptunum reducem. *Dardania* gallorum duorum pugnam. *Hebraei* siclo suo insculperunt virgam Aaronis efflorescentem cum thuribulo fumante. *Itali* Janum bifrontem & ratem, item bovem & ovem. *Livia* cererem legiferam inscripsit. *Lycii* leonem cum capra insidente. *Macedones* Herculis clavem & cornua hircina. *Naxii* bruchum, vel ut alii scribunt, bacchum barbatus, & satyrum cum poculo. *Persæ* sagittarium. *Peeloponnesii* testudinem. *Philippus Macedo* bigas pro insigni habuit. *Phocenses* aquilam & tripodem. *Pyrrhus* Palladem hastatam in folio sedentem. *Samii* pavonem. *Seleucus Nicanor* anchoram numo insculpsit. *Thebani* herculis bipennem. *Tessali* equum.

X.

Superfunt adhuc quædam, ad rei numariæ historiam spectantia, quæ paucis expediam. Et quidem potestas cudendi monetam ad summum Principem, aut Magistratum supremum, qui Principis loco est, semper spectabat, ut etiam in Jure communi statuitur (p). Ita primi statim Reges Romani Numa, & qui secuti sunt, eam exercuere, quemadmodum produnt

eo-

(p) *L. fin. C. de fal. monet.*

eorum numi, quos ipsum nomen suum a Numa memorato traxisse perhibet Tranquillus. At exactis Regibus Reipublicæ Principes curam ac potestatem signandi numi Romæ commiserunt minoribus Magistratibus, ut Cicero (q) ex legibus XII. Tabularum his verbis testatur: MINORES MAGISTRATVS AES, ARGENTVM, AVRVMVE PVBLICE SIGNANTO. Triumviros quoque, quos Monetales, & Æris, argenti, auriq; Flatores adpellabant, constituerunt, ut ex antiquis aliquot numis patet, quorum uni inscriptum legitur: C. PLOTIVS III VIR. A. A. A. F. F. hoc est: *C. Plotius Triumvir auro, argento, ære flando, feriundo.* Ne vero fraudis quidquam in re tanti momenti interveniret, numi Spectatores addiderunt, ab officio sic dictos, utpote quorum erat, numos inspicere, censere, ac æstimare. Solebant hi vel tinnitu, vel ad coticulam lydiam eos explorare, minusque probos rejicere tanquam spurios; quæ res adeo placuit populo Romano, tamque jucunda accidit plebi, teste Plinio (r) ut Mario Gratidiano, qui legem *numi spectandi* tulit, vicatim statuas dicarit. Ut autem non commerciis duntaxat,

(q) *Lib. 3. de leg.* (r) *L. 33. c. 10.*

zar, ubi maxime argentum expendebatur, sed etiam quotidianis usibus prospicerent, ubi minutis numis opus est, adhibuerunt Argentarios (Livius Mensarios, Suetonius Numularios, Trapezitas Plautus nuncupant) qui perpetuo fere ad mensam in foro pone ædes Castoris adsidebant, ut argenteam monetam cum ejusmodi minutis numis promte commutarent. Horum meminit Plautus (s), ubi ait:

*Sub veteribus ibi sunt, qui dant, qui
accipiunt fenore,
Pone ædem Castoris ibi sunt.*

Porro non solum Romani, sed aliæ quoque gentes gravissimis pœnis in eos animadvertebant, qui pecunias adulterare ausi fuerunt, vel admiscendo sequioris metalli portionem, vel aliquid de justo pondere detrahendo, vel signando absque legitima auctoritate (queis tribus modis adulteratur pecunia). Nam Tacitus Imperator cavit, ut si quis argento publice privatimque æs, si quis auro argentum, si quis æri plumbum miscuisset, capitale esset cum bonorum proscriptione, ut Flavius Vopiscus testatur (t). Ulpianus ait: Quicumque numos aureos

par-

(s) *In Curcul.* (t) *In ejus vita.*

partim raserint, partim tinxerint, vel finxerint, siquidem liberi sunt, ad bestias dari: si servi, summo supplicio affici debent (u). Adulterinam monetam clandestinis artibus conficientes extremo supplicio afficiendos esse, & domum vel fundum, in quo fabricantur, publicandum Imperator Constantinus rescripsit (x). Diogenem Sinopeum Icesii Mensarii filium ob monetam corruptam e Græcia in exilium una cum patre pulsum fuisse memorat Laertius (y). Apud Ægyptios pecuniam adulterantibus ambæ manus amputabantur teste Diodoro Siculo (z) Jure Saxonico falsæ monetæ cutores vivi igne cremantur. Hodiernis moribus in Imperio capitalem pœnam incurrunt.

XI.

Ut autem ad potestatem & jus numi cudendi signandique revertar, de quo dicere institui, Reipublicæ tempore Senatus Romanus, penes quem summa rerum erat, potestatem hanc per inferiores

(u) *In L. Quicumque. ff. ad L. Corneliam de falsis.*

(x) *In L. 1. Cod. de falsa moneta.*

(y) *Lib. 6.*

(z) *L. 2. de Ægypt. legibus.*

res magistratus exercebat, atque initio quidem numis imponebant effigies Deorum suorum, tum etiam icones triumphorum a strenuis Belliducibus obtentorum. Postquam vero ad Cæsares per Legem Regiam suprema potestas Imperii devoluta fuit, jus quoque monetæ non solum exercuerunt ipsi, verum etiam privilegium hoc concesserunt sanguine aut cognatione sibi proxime junctis, atque illis, quos regni successores designarunt. Plurimi eorum Matris, Conjugis, & Sororum effigie numos insignivere, uti Augustus Liviæ: Agrippinæ, Drusillæ, ac Juliæ Caligula: Claudius Messalinæ & Agrippinæ: Octaviæ ac Poppææ Nero, & Titus Juliæ; quod honoris genus præcipuum habebatur. Nihilominus usque ad Hadrianum Imperatorem Senatus Romanus jus numos cudendi retinuit, uti produnt literæ iis adpositæ S. C. id est, *Senatus Consulto*. Hadrianus vero primus fuit, qui sibi soli jus hoc arrogavit, quamvis etiam post ipsum multi reperiantur, auctoritate Senatus, quin etiam Tribunitia potestate signati, qualis est, quem penes me habeo Constantini M. tempore cûsum cum inscriptione a fronte: IMP. CONSTANTINVS. P. F. AVG. a tergo: SOLI INVICTO COMITI

MITI. T. P. seu *Tribunitia potestate*. At succedentibus temporibus Imperatores etiam Regibus inferioribus, Ducibus, Rebuspublicis, ac Civitatibus facultatem cudendi monetam concessere quamlibet, & e quolibet metallo. Quin & alii usurpatione illam sibi vendicarunt. De Antiocho Rege, Demetrii filio, in Sacris Literis (a) legimus, quod Simoni Duci ac Sacerdoti Magno Judæorum honoris ergo permiserit, ut propria patriæ suæ nota monetam cudere posset: *Permitto tibi percussuram proprii numismatis in regione tua*. Sylla tempore belli Mithridatici Lucullo signandi numi in Peloponneso negotium dedit; unde is numus *Luculleus* dictus est, ut refert Plutarchus. Henricus III. Imp. an. 1049. jus monetæ signandæ Episcopo Patavino indulsit. Genuenses an. 1139. a Conrado III. Germanorum Rege pecuniæ signandæ jus obtinuerunt. Quare in accepti hujus beneficii monumentum aureos ipsius Conradi Regis nomine signabant. Idem favor Placentinis ab eodem Conrado exhibitus est. Fridericus I. Imp. capta Dordona an. 1158. Cremonensibus amicis honoris causa jus pecuniæ signandæ imperavit. Lucius III. Pontifex Max. ut cives suos Lucenses ob legationem honestissimam

ad

(a) 3. Machab. 35.

ad se missam eximio aliquo beneficio afficeret, adficiente Friderico I. Imp. illis indulfit, ut pecuniam cudere Tusciæ, Marchiæ, Romaniæ, Campaniæque communem. Henricus VI. an. 1191. Bononiæ hospitatus civitati jus cudendæ monetæ concessit: primus numus ab una parte Henrici, ab altera Bononiæ nomen habuit. Otto III. Verdensi Episcopo facultatem tribuit cudendi argentum, & ut solemnes nundinas intra sui Episcopatus limites celebraret. Exempla hucusque allata remotioris ævi producant Sigonius (b) & Cranzius (c), Nostris temporibus quavis fere Ducatus, Principatus, Respublica quavis, & civitas dominans vel habet vel arrogat sibi jus monetæ cudendæ. In Imperio solius Cæsaris effigies *laureata* imprimitur numis, qui tamen in re numaria generalem quemdam modum præscribere non potest, nisi plures Electorum consentiant. Denique memoratu digna est origo numi aurei, quem vulgo *Ducatum* vel *Zecchinum* adpellamus, qui 20. Julios Romanos seu quatuor florenos valet. Polydorus Vergilius (d) ducatum esse dictum memorat a Romano Ducatu, qui Magistratus fue-

(b) *Lib. 8. II. 12. 14. & 15. Regni Italici.*

(c) *Lib. 9. Metrop. c. 1. & lib. 3. c. 36.*

(d) *Lib. 2. de Invent. c. 20.*

fuerat primum constitutus a Longino, quem Justinus Imperator Narseti Italiæ Præfecto successorem dedit. Verum alii contendunt, primam monetam auream, quem Ducatum seu Zecchinum vocamus, Venetiis an. 1280. cusam fuisse, cujus inscriptio erat:

*Sit tibi Christe datus, quem tu regis,
iste Ducatus.*

A qua voce ultima monetæ hujus ortum ac etymologiam deducunt.



CAPUT III.

OECONOMIA NUMORUM.

§. I.

Numi Romani.

XII.

Dum œconomiam numorum nomino, distributionem eam intelligo, qua rerum periti numos in tres classes dividunt, scilicet in Romanos, Græcos, & Hebraicos, utpote reliquis aliarum gentium numis celebriores, quorumque notitia tum ad historiæ, tum ad Juris Civilis,

vilis, tum ad S. Scripturæ studium perutilis, quin & quandoque necessaria est. Porro in quavis classe plures ac diversæ numerorum species continentur: in Romana As, Sestertius, Quinarius, Denarius, Talentum: in Græca Obolus, Drahma, Bos, Mina, Talentum: in Hebraica Siclus, Drachma, Didrachmum, Mina, Talentum. De his igitur ordine agendum est, ut eorum usus & valor patefiat, quæ res cum non modica eruditione consociata est. Ne autem Lector, dum memoratas numerorum species legit, de illorum valore, qui nunc iis respondet, continuo aut dubius hærere, aut singulis locis interpellari debeat, valorem istum, quem olim habuerunt, ad nostræ monetæ rationes subducere studui, ac in unum simul conspectum dare. Ubi tamen notari velim, quum auctores in hoc negotio minime conveniant, medium inter summum & infimum pretium me elegisse atque rotundum, omissis tam molestis quam multis, quas Arithmetici vocant, fractionibus. Pro fundamento constitui florenum Imperialem, seu 60. crucigeros, quorum unus 4. quadrantes, quadrans autem 2. obolos valet, in quos ultimos denique omnium fere gentium moneta desinit. Itaque in numis Romanis *As libralis* nostro valore unum fere

fere crucigerum adæquat; *Sestertius* minimum 2. crucigeros: *Sestertium* seu mille *Sestertiorum* 33. florenos, 20. crucigeros. *Quinarius* 5. fere crucig. *Denarius* 10. fere crucig. *Mina* seu mille æris 16. flor. 40. crucig. *Talentum* 1000. floren. In numis Græcis *obolus* fere unum crucigerum & 3. quadrantes. *Dragma* fere 10. crucig. *Bos* fere 20. crucig. *Stater* fere 40. crucig. *Mina* fere 16. flor. 40. crucig. *Talentum* 1000. flor. In numis Hebraicis *As* 5. quadr. *Obolus* 10. quadr. *Denarius* 12. crucig. 2. quadr. *Dragma* 12. crucig. 2. quadrag. *Siclus* seu *Stater* 50. crucig. *Argenteus* 50. crucig. *Mna* seu *Mina* 20. flor. 50. crucig. *Talentum* 1250. flor. Intelligendum autem hoc est de siclis & talentis argenti: nam siclus auri valet 10. flor. *Talentum* auri 15000. flor. His præmissis:

Æs, *As*, *Affis*, tria nomina sunt, eadem tamen res, uti ex Livio, Plinio, aliisque intelligimus. Nam quod prior (e) *millia æris* vocat, posterior (f) *millia affium* adpellat: & quum in legibus XII. Tabularum dicitur, *si injuriam alteri faxit, viginti quinque æris penæ sunt*, Phavorinus (g) id exponens inquit: *Quis erit tam*

(e) *Lib. I.* (f) *Lib. 33. c. 3.* (g) *Apud Gellium l. 20. c. 1.*

tam inops, quem ab injuria facienda XXV. asses deterreant? Equidem *Æs* generale nomen est, & pro quovis numo & pecunia usurpatur, peculiarem tamen simul numum denotat, a materia unde cuditur, sic dictum. Vetusissimus enim inter Romanos ex ære primum rudi ac informi, postea etiam signato confici cœpit regnante Tullo, dicebaturque *Æs*, seu *As*, & *Assis*, quemadmodum denuo Plinius refert, *Tullum VI. Romanorum Regem æs apud illos primum signasse* (h). Nota hujus monetæ erat I vel O. imago autem impressa Jani caput geminum, & prora navis, qua Saturnus in Italiam vectus est. Duo autem heic observanda veniunt: primum est, auctores sæpius usurpare per enallagen voce *æris* pro æreis numis. Ita dicunt v. g. expensum esse *centum* aut *mille æris*, intellige, expensum esse centum aut mille numos æris vel æreos, sive totidem asses. Alterum, quod aliquando *æris gravis* adpellatio occurrat. Sic Livius (i): *Et quia nondum argentum signatum erat, grave æs plaustris quidam ad ærarium convebentes speciosam collationem faciebant.* Intelligitur per grave æs moneta, qua necdum numerata, sed solum adpena solvebantur debita. Cæterum

As

(h) *Lib. 33. c. 3.* (i) *Lib. 4.*

As prima sui institutione unius libræ pondus æquabat, & *libralis* dictus est: libram vero in duodecim uncias dividerunt. Unde *Semis* seu *semias* sex unciarum numus erat: *Triens* seu $\frac{1}{3}$ assis pars quatuor unciarum: *Quadrans* seu $\frac{1}{4}$ assis pars trium unciarum, propterea & *Tertuntius* nuncupatus: *Sextans* denique sive $\frac{1}{6}$ pars assis duarum unciarum. Distinguebant autem veteres hos numos certis signis, Trientem ●●●●, Quadrantem ●●●, Sextantem ●●, uti priscum æs intuentibus patet. Non minus varias pecudum formas iis impresserunt, ovis, bovis, suis, & rotæ currus, quibus veluti grato animo testatam volebant Romani primam opum suarum originem ex pecoribus & agricultura proveniente. Porro æris seu assis pondus non semper idem erat, sed pro temporum varietate atque inopia sæpius imminutum esse legimus, remanente tamen valore pristino. Sic bello primo & secundo Punico, quum Respublica grandibus impensis par non erat, constitutum fuit, ut asses, qui alias librales erant, ad sextantis pondus reducerentur, ita ut ex uno asse sex asses fierent, quorum quisque ejusdem cum librali æstimationis esset: postmodum Hannibale Italiam infestante unciales as-

ses introducti fuerunt, qui septimam libræ partem duntaxat æquabant: brevi etiam urgente majori necessitate per legem Papyriam Semiunciales facti sunt. Atque hæc ratione Respublica primum pro 12. unciis non plus quam sextam libræ partem, tum septimam, denique septimam cum dimidia pendebat, magno satis lucro. Ex hucusque dictis patet, minimum pecuniæ genus assen fuisse apud Latinos: inde natum proverbium: *Non assis facere*, id est, minimi æstimare; & quod apud Horatium legitur: *ad assen omnia perdere*. Cicero quoque pro P. Quinctio *assen se daturum negat, nisi prius de rebus rationibusque omnibus societatis decidisset*.

Sestertius, quasi sesquitertius, erat apud Romanos numus argenteus, nunquam æreus, valuitque duos asses & amplius aliquid. Ejus nota fuit, quam scriptores exprimunt literis HS. vel IIS. vel HHS . Advertendum vero diligenter ad genus, quo ab Auctoribus profertur, an masculinum sit, vel neutrum, nempe *Sestertius* aut *Sestertium*. Magnum quippe inter hæc duo discrimen intercedit. Quamvis enim Agricola (k), Hotomannus, & alii idem pretium utraque voce significari

(k) *Lib. 2. de pret. Vet. num.*

ri velint, Budæus tamen (1) cujus opinionioni Recentiores passim accedunt, censet Sestertium neutro genere prolatum non numum, sed mille Sestertiorum summam indicare: immo totidem millia, quot numerus adjectus denotat, v. g. quina sestertia, vel quinque sestertium, quinque millia sestertiorum. Clarum satis rei hujus testimonium habemus in Tullii Oratione quarta Verrina, in qua *quinque sestertia, quinque millia sestertium, quinque millia numum* pro pecunia ejusdem valoris accipit: Verba ipsius sunt, *Facta est sponso sestertiis quinque: coegit enim Scandilius recuperatores aut judicem postulare.* Ac paullo post: *Coegit Scandilius Apronio dare quinque millia HS.* Quodsi vero numerus adverbio exprimitur, ut *decies sestertium* summam conficit decies centenorum millium sestertiorum, quemadmodum e numis Augustorum colligitur:

Quinarius erat numus Romanus quinque assium æstimatione, insignitus vel litera Q, vel nota numerum exprimente V. De hoc Plinius meminit (m) dicens: *Et placuit Denarius pro decem ævis, Quinarius pro quinque.* Huic & pondere & valore

(1) *Lib. de Affe.* (m) *Lib. 33. c. 3.*

lore par erat *Victoriatus*, cui victoriæ simulacrum inerat: utrumque numum argenteum fuisse constat.

Denarius, numus argenteus, decem asses valuit teste Tacito (n) scribit enim, *decem asses militibus datos esse, qui denarium faciunt.* Ejus nota fuit X. vel ~~X~~, numerum assium exprimens. Aliquos etiam denarios reperire est cum nota XVI, qui variato tunc temporis valore totidem assibus æstimati sunt. Inscriptio autem vel nomen Principis & Auctoris, vel causam numi percussi, vel utrumque præseferbat. Ita in denario Antonini Imper. una facie legebantur hæc verba: ANTONINVS PIVS. AVG. BRIT. altera vero P. M. TR. P. XII. COS. III. id est, *Antoninus Pius, Augustus, Britannicus Pontifex Maximus, Tribunitiæ Potestatis Duodecimum, Consul Tertium.* Ejusmodi denarium Augustus Cæsar ad instaurandum palatium incendio absumptum a quovis privatorum exegisse fertur. Idem cum denario pretium obtinuerunt Romæ alii numi argentei, quos dicebant a nota bigarum aut quadrigarum impressa *Bigatos, & Quadrigatos.* De prioribus meminit Livius (o): *M. Fulvius, inquit, Nobilior ex ulteriore Hispania ovans Urbem est*
in.

(n) *Lib. I.* (o) *L. 6. Decad. 4.*

ingressus : *argenti transtulit duodecim millia pondo* : *Bigati argenti centum triginta*. De posterioribus vero idem his verbis (p) : *Pacti, ut arma & equites traderent, in capita Romana trecentis nimit quadrigatis*. Erant etiam in usu Romanis numi *Serrati*, quibus serræ typus, & *Ratiti*, quibus ratis figura insculpta fuit : de horum autem valore ac pondere nil certi tradunt auctores ; denarium tamen excessisse non videntur.

Talentum, quo Græci & pro pondere, & pro summa numaria usi sunt, Romani ad suæ pecuniæ rationes transtulere primum, ubi devicta Græcia illuc fines Imperii sui propagarunt ; neque hoc vocabulo, aut ipso pondere Talenti sunt usi, nisi in rebus & negotiationibus, quæ cum Græcia, Asia & Ægypto ipsis intercesserant. Valor itaque Talenti Romani a Græco petendus est. Mentionem illius faciunt Plautus atque Terentius (q) ubi ait :

Dos est decem Talenta Pampbile.

XIII.

Præter hæc ad rem numariam Romanorum rite intelligendam pertinent, quæ se-

(p) *Lib. 2. Decad. 3.* (q) *In Andria.*

sequuntur: *Primo*, dum libra seu pondo dicitur, non tam numus aliquis (excepto asse) sed potius certa pecuniæ seu numorum summa & pondus significatur, intelligiturque libra seu pondo argenti. *Secundo*, Argentum Romæ signari cœpit, invalueruntque numi argentei quinque annis ante primum bellum Punicum Q. Ogulnio, & C. Fabio Consulibus anno V. C. 485. Ejusmodi numum argenteum Fabii produxit Harduinus, his literis inscriptum: C. FABI. C. F. EX. A. PV. *Cajus Fabius Caii Filius ex argento publico*. Unus autem Denarius argenteus æquabat 10. ß. cupri: Quinarius 5. ß. & Sestertius 2½. ß. Atque tria hæc numorum genera fuerunt, quibus utebantur usque ad occasum Imperii Romani. Porro in his numis argenteis primum videre fuit una ex parte Romæ caput Galeatum, ex altera Castorem & Pollucem, quos Deos Tutelares Urbis habebant, equis insidentes, & stella utriusque pileo imminente. Tum notabant in iis victorias de hostibus reportatas, unde nomen Victoriatus. Non multo post inferebant currus cum duobus vel quatuor equis, ut nuper dixi, vocabanturque Denarii bigati & quadrigati. Subsequentibus temporibus magistratus ille, cui Senatus rem mone-

tariam demandavit, signabat suos Deos, semi-deos, Majores, triumphos, officia honorum &c. Necdum tamen audebant proprias effigies proponere usque ad Julium Cæsarem, cui honor iste concessus fuit. *Tertio*, Asse hujusque partibus usi sunt Romani maxime, quando hæreditatem in certas partes dividebant. Ulpianus (r) eas ita enumerat: „ Hæreditas „ plerumque dividitur in 12. uncias, quæ „ assis adpellatione continentur. Habent „ autem hæ partes propria nomina usque „ ad assem. 1. uncia seu pars assis duodecima. 2. sextans, sexta pars assis: continet duas uncias. 3. quadrans tres uncias sunt. 4. Triens quatuor uncias. 5. quincunx quinque uncias. 6. semis seu semissis est assis dimidium: continet sex uncias. 7. septunx uncias septem. 8. Bes sive Bessis octo uncias. 9. dodrans novem uncias. 10. dextans seu decunx decem uncias. 11. deunx dicitur, quod uncia saltem deficiat, quo minus integer assis sit. 12. As unciarum duodecim, seu libræ unius. „ Unde qui totam hæreditatem cepit, *ex asse bæres* dicebatur. *Quarto* singularem meretur mentionem census Romanus. Est autem

(r) *L. Servum ff. de hered. instit.*

tem census, de quo heic loquimur, æstimationo rerum ac bonorum facta, secundum quam tributa penduntur: inde est *censum agere*, ut loquuntur Veteres, seu recensere hominum facultates, & *censum pendere*, quando nimirum certa pecuniæ summa Principi vel ærario solvitur viritim. Cætera primus omnium apud Romanos Servius Tullus Rex censum egit, quum decrevit, quæ quisque civis pro facultatibus suis in Republica tam pacis quam belli tempore in rem communem conferre cogeretur, id quod copiose describit Livius (s). Equidem ante tempus hoc censum rem adhuc per orbem terrarum incognitam fuisse asserit Eutropius: sed perperam. Nam census agendi initium factum est apud Hebræos, quum de hoc ipse Deus mandatum Mosis dederit, ita loquens (t):

Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis coram Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram Templi. Qui habetur in numero a viginti annis & supra, dabit pretium. Ita in populo electo tributum imperatum erat in singula capita eorum, qui annis viginti

ma-

(s) L. I. (t) Exod. c. 30.

majores essent, quique arma ferre possent. Aliam hoc in negotio viam tenuerunt Romani, apud quos Rex Servius Tullus primus omnium censum instituit, rem, ut Livius ait, saluberrimam tanto futuram imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim ut antea, sed pro possessione pecuniarum cives obirent. Hos nimirum divisit in quinque classes (seu Ordines.) Prima fuit illorum, qui centum millia æris, id est, 1666. circiter florenos vel majorem adhuc censum habuere, a quo *Cives Centenarii* sunt vocati. Secunda LXXV. millium æris, seu fere 1250. flor. Tertia L. millium æris, sive prope modum 833. flor. Quarta XXV. millium æris, id est, fere 416. flor. Quinta demum XI. millium æris, seu 183. flor. circiter. Adeo nempe teste Plinio id temporis Romanorum opes exiguæ fuere, quæ posthac immensæ exstiterunt, quando Censui Senatorius fuit duodecies centena millia sestertium numum. Aliquando autem pro temporum & opum diversitate altius ascendit primæ classis census, scilicet ad CX. ad CCCXX. ad D. denique ad X. C. id est, decies centum millia æris. Quare ut dixi, non viritim, ut apud Judæos, sed secundum classes memoratas atque censum iis respondentem

tributum exigebant, & pendebant Romanis.

§. II.

Numi Græci.

XIV.

Obolus, *ὀβολός*, infimum pecuniæ genus apud Græcos, numus erat e ferrea lamina, primum oblongus, & in acumen instar teli desinens: postea tamen aliam induit figuram, nempe rotundam, fuitque pro diversitate materiæ ac nationum diversus: alius æreus, alius ferreus, argenteus alius: rursus alius Græcus, alius Atticus, Ægineus, & Externus, nimirum Macedonicus, Judaicus. Atticus partem sextam drachmæ æquabat, at Judaicus aliquantum superabat, ut postea videbimus. Ipse quoque obolus & immutationem & incrementum passus est: erat enim semi-obolus, seu dimidium oboli: & diobolus duos obolos, triobolus tres, retrobolus quatuor ejusmodi numulos continens. Obolo par fuit alius numus minutus, quem Græci *λεπτόν*, Latini *minutum* vocant. Ita legimus (u) in Evangelio, viduam pauperulam in gazaphylacium

(u) *Lucæ c. 2.*

cium coniecisse duo λεπτά, seu minuta, quæ D. Chrysostomus duos obolos interpretatur. Cætera utuntur tam Græci quam Latini obolo pro paupertatis signo, uti Lucianus (x) dum de valde egenis pronunciavit: *Qui pridie ne obulum quidem; quo vestim emerent, habuerunt:* triobolo autem pro nequitia nota; unde natum proverbium: *homo triobolaris*, id est, nequam & nullius pretii. Æsopum ab Hero suo Zena tribus obolis venditum fuisse scribit Maximus Planudes.

Drachma δραχμή, Græcis pondus simul erat, & numus: pro pondere ea Mediei sæpe utebantur: numo autem Drachmæ impressa erat nota <, semidrachmæ vero >. Alia erat argenteus, alia numus aureus: non minus alia Græca, ut Attica, Æginea, Corinthia: alia Externa, ut Ægyptiaca &c. Valor idem erat Drachmæ Atticæ apud Græcos, qui apud Romanos Denario. Hoc monetæ genere Attici mercedem diurnam, quin & stipendium militare solebant persolvere, quemadmodum de priori Athenæus (y) de posteriore Aristophanes (z) testantur. Thucydides quoque (a) *duas drachmas stipendium*

(x) *In Timore.* (y) *Lib. 4.* (z) *in Acharnensibus.* (a) *Hist. lib. 6, § 8.*

dinum militare fuisse prodit. E drachma orti sunt alii numi, scilicet *Didrachmum*, seu duæ drachmæ, quem etiam *Bovem* adpellabant, & de quo apud Matthæum legimus (b): *Magister vester non solvit didrachma? Tridrachmum* tres drachmæ, *Tetradrachmum*, quatuor drachmæ; cui Athenienses noctuam insculpsere, utpote quam avem Palladi amicam Deæ loco habebant. *Pentadrachmum*, *Hexadrachmum* seu quinque & sex drachmæ: demum *Pentecontadrachmum*, id est, quinquaginta drachmæ.

Boûc seu *Bos* omnino antiquus erat apud Græcos numus, & quidem argenteus valore unius didrachmæ, quo Athenienses & Delii utebantur. Theseus quoque Athenis hunc numum (nempe bovem argenteum) percussisse in memoriam Minotauri a se devicti legitur apud Plutarchum. Ex una numi parte prisca effigiem Regis, ex altera bovem signarunt, vel quia animal hoc ut sacrum habebant, vel quia pecudum permutatione ante usum pecuniæ negotiari consueverunt. Non solum autem argenteus, sed etiam aureus fuit hic numus. Hinc apud Homerum idem est *centum bouum pretio*, ac centum numis aureis æstimari.

Sta-

(b) Luca c. 17.

Stater, græce Στατήρ, derivatur quidem a pondere seu libra, quum verbum ἰσάνας appendere, ponderare, ac librare significet quod nomen a statere seu instrumento, quo res variæ ponderari solent, accepit. Sumitur autem & pro pondere & pro numo, qui varius est tum a materia, scilicet aureus vel argenteus: tum a nationibus, nempe Græcus, ut Corinthius, Macedonicus &c. & Externus, ut Persicus, Hebraicus: tum ab illis, quorum jussu & auctoritate percussus fuit, ut Cræseus a Cræso Lydiæ Rege, Philippeus a Philippo Macedonum Rege, dum Crenidenses aurifodinas instauravit, Alexandrus ab Alexandro M. Daricus a Dario Persarum Rege, Cyzicenus a Cyzico Propontidis oppido. Valor stateris argentei tetradrachmum explebat.

Μνᾶ latine *Mina* duplex fuit, una vetus, altera nova: prior erat drachmarum septuaginta septem, posterior quam Solon auxit, centum drachmarum. Hoc tamen non est ita intelligendum, quasi mina numus fuisset argenteus tanti ponderis, sed quod tanta argenti massa tot numis æstimaretur.

Talentum pro libra & lance primum a Priscis usurpatum fuit, a græco verbo ταλαντίω seu appendo & pondero: postea
locus

locus quoque Talento factus est in re numaria, ita ut certam quamdam pecuniæ summam significaret. Porro talentum inter pondera maximum est, ita ut reliqua omnia superet. Varium fuit tum ratione quantitatis: aliud magnum, parvum aliud, scilicet quadragenarium, octogenarium, complectens quadraginta, vel octoginta, vel centum minas: tum ratione qualitatis, nempe Græcum, quo Attici, Euboici, Æginæi, & Externum, quo Babylo-
nii, Hebræi, Ægyptii utebantur. Quamvis autem apud varias Græciæ nationes inter pondera non modica fuerit diversitas, omnes tamen in hoc convenere, quod Talentum re ipsa sexaginta minas, mina vero centum drachmas conficeret, ex quo valor talenti facile desumi potest.

Res memoratu digna occurrit circa numos græcos, Exprimitur enim in his plerumque numerus annorum literis majusculis. Quod ut intelligatur, nosse oportet vim & potestatem literarum Alphabeti græci. A valet annum unum, B duos, Γ tres, Δ quatuor, E quinque: sex annorum peculiaris nota est ς. aut ϗ. tum rursus Z valet septem, H octo, Θ novem. Reliquarum literarum quælibet decem annos valet, ut I decem, K viginti, atque ita usque ad nonaginta, cu-
jus

jus nota rursus est peculiaris Q vel q vel U vel C . Pergitur denuo: P valet centum annos, Σ aut C ducentos &c. Ipsum vero anni vocabulum a Græcis aut penitus omittitur, positis solum notis numerorum, ΣΙΑ , vel ordine inverso (nihil enim refert) ΔΙΣ , id est anno 214. aut adhibetur litera L , v. g. L. AI. vel IA. seu anno undecimo. His itaque literis, tanquam annorum numeris, indicatur in numis, vel quot annis regnum quis tenuerit, vel epocha seu æra rerum memorabilium.

§. III.

Numi Hebraici.

XV.

*A*s numus erat, valore nonnihil major asse Romano. Hujus mentio fit in Evangelio (c), ubi Christus divinus Magister discipulos suos ad fiduciam in Dei providentia collocandam excitat dicens: *Nonne duo passeres asse veniunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?*

Obolus, vel ut Hebræi vocant *Gera*, sæpius occurrit in S. Scriptura. Sic in libro

(c) *Matth. 10.*

libro Exodi (d) dicitur: *Siclus viginti obolos habet.*

Drachmæ meminit Esdras (e): *Auri drachmas mille. Item (f) duodecim mille drachmas argenti.* Rursus Servator, ut animæ pretium explicaret, parabola usus dixit (g): *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat?* Drachmæ hujus valor erat idem cum denario, qui fuit merces diurna pro operis, ut legimus apud Evangelistam (h): *Nonne ex denario convenisti mecum?*

Didrachmum Hebræis *Beka* dicitur, quasi dissectum & divisum: erat enim dimidium sicli sacri. Judæi omnes, quotquot viginti annos excefferunt, usque ad annum ætatis quinquagesimum Deo jubente (i) viritim pendere didrachmum quot annis cogebantur, ut ea pecunia cultus templi, & expensæ in res sacras faciendæ sustinerentur. Non minus, ubi a Romanis Judæa vectigalis facta est, Præsidibus didrachmum singulis annis persolvi debuit, publico Romæ ærario inferendum. Hinc legimus (k) a Christo

jus.

(d) C. 30. (e) Lib. 2. c. 7. (f) 2. Machab. c. 12. (g) Luc. 15. (h) Matth. 20.
(i) Exod. 30. (k) Matth. 17.

jussu fuisse S. Petrum, ut primum, qui e mari ascendisset, piscem tolleret, ac inventum in ejus ore staterem (cui æquivalent duo didrachma) exactoribus solveret, pro quovis, scilicet Petro & Christo, unum didrachmum. Immo eversa Solyma Vespasianus Imp. tributum, ut ait Josephus (1) *Judæis, ubicunque erant, imposuit, duas drachmas quemque quot annis in Capitolium ferre jubens, quemadmodum ante in templum, quod est Hierosolymis, conferebant, eo videlicet fine, ut belli nervus incideretur.*

Siclus græcis Σίκλος, Hebræis *Schékel* & ponderis & numi munus obibat; sicuti enim Latini sestertiis, græci drachmis, ita hebræi siclis summas pecuniarias confecerunt. Erat autem varius: primo quidem argenteus, aureus, quin & æreus ac ferreus, ut S. Scriptura nos docet: de aureo (m) *auri sicli centum viginti.* De argenteo (n) *triginta siclos argenti.* De æro & ferro (o) *porro pondus lorice ejus (Goliathi) quinque millia siclorum æris erat.* Et ibidem, *ipsum autem ferrum bastæ ejus sexcentos siclos ferris habebat.* Dein alius erat Hebraicus, alius

Per-

(1) *Lib. 7. c. 27.* (m) *Numer. 19.*

(n) *Exod. 2.* (o) *1. Reg. 17.*

Persicus, alius Ægyptiacus. Demum ac potissimum siclus profanus, & sacer. Hic profano, si Pagnino, Vatablo aliisque credimus, fuit duplo major, & ad pondus *Sanctuarii* expendebatur, uti constat ex libro Levitici (p): *Duobus siclis juxta pondus Sanctuarii.* At Cornelius a Lapide in Exod. c. 30. v. 13. sat luculenter ostendit, neutrum altero majorem minoremve fuisse, sed ejusdem valoris utrumque: dictum vero fuisse *juxta pondus Sanctuarii*, quia inibi servabatur justissimi ponderis siclus, ad quem adpendi possent, ac examinari reliqui, ne fraudi locus pateret; quemadmodum apud Romanos publica *pedis & amphoræ* mensura servabatur in capitolio. Porro sicli maxime sacri inscriptio erat literis hebraicis una ex parte SCHEKEL IISRAEL, hoc est, *Siclus Israel*, cum ara seu caliculo thuris fumante: ex altera IERVSCHALAIM HAKKEDOSCHA seu *Sancta Hierusalem*, cum virga Aaronis florente. Huic siclo par erat valore *Stater*, quatuor scilicet drachmas æquans, qualem, ut paullo ante memini, Christus pro se ac Petro solvi jussit.

Argenteus, quem *Keseph* Hebræi dixerent, diversimode a S. Scriptura usurpatur:

vel

vel pro rudi massa argenti, seu argento infecto; sic Abraham (q) dicitur: *Dives valde in possessione auri & argenti*, vel pro argento signato, ut in libro Exodi (r): *Triginta siclos argenti*. Et Christus a Juda venditus est *triginta argenteis*. Hi autem argentei omnino videntur fuisse sicli sacri valore quatuor drachmarum, quum Judas proditor de pretio isto triginta argenteorum transegerit cum Principibus Sacerdotum, ad quos ipsos postmodum pœnitentia ductus hanc ipsam pecuniam retulit, atque in templum projecit. Fuere igitur sicli ad templi ærarium pertinentes, seu e sacra pecunia, cujus custodia penes Sacerdotes erat. Ex quo patet, pretium quo Christus a Juda venditus fuit, nempe 30. argenteis seu siclis, fuisse viginti quinque florenorum Imperialium, numerando siclum unum pro quinquaginta, ut dixi, crucigeris.

Mina seu *Mua* a verbo Hebraico *Maná* derivatur, quod rem per partes seu numeros subducere ac subtrahere significat. Pecuniæ hujus mentio occurrit sæpius in S. Scriptura, uti *trecentæ minæ auri* (s). *Argenti mnas duo millia*. Et apud Evangelistam Homo ille nobilis abiens in

(q) *Genes. 12.* (r) *C. 2.* (s) *2. Esdra 7.*

in regionem longinquam servis suis *decem minas* dedit ad negotiandum (t). Valore autem græcam minam superabat mina hebraica.

Talentum quod vocant Latini, *Kickar* Hebræi adpellant. Aliud erat profanum seu publicum, quo in rebus civilibus vulgo utebantur: aliud sacrum seu Sanctuarium, cujus usus in Templo & rebus sacris fuit, eratque valor hujus major quam prioris, continebatque ut Josephus tradit (u) minas hebraicas centum. *Talentum* tum aurei tum argentei frequenter meminit sacer Codex utriusque Testamenti. Consideratione dignissimum est, quod in primo libro Paralipomenon (x) de grandi thesauro, seu pecuniæ summa legitur, quam David Rex congeffit, Filioque Salomoni reliquit, struendo Solymæ templo servituram. Fuerunt autem centum millia talentorum auri (id est, in auro mille quingenti milliones florenorum) argenti vero mille milia talentorum (sive in argento mille ducenti quinquaginta milliones florenorum) quæ omnia simul sumta bis mille septingentos quinquaginta milliones ejusmodi florenorum, de quibus initio dixi, Imperialium universim conficiunt, dignum sane Templo

(t) *Luc.* 19. (u) *Lib.* 3. c. 7. (x) *C.* 22.

plo per totum orbem celeberrimo, ejusque habitatore Deo Maximo pretium.

XVI.

Oeconomix numorum qua Romanorum, qua Græcorum, qua Hebræorum hætenus recensitæ quasdam observationes subnecto. *Prima* est, quod extra dubium sit, apud omnes has tres nationes moris primitus fuisse, pecuniam ponderare. Nam ad Romanos quod adinet, As ipse pondus significat, & numus æreus assis nomine insignitus *libralis* dicebatur. Inde vox *assipondium* orta est, & illi, qui militum stipendia expendebant ad libram, *libripendes* vocabantur. Non minus apud Græcos stater, præcipua ipsorum moneta, a statera, in qua appendi ac ponderari solebat, nomenclaturam suam accepit, seu quod idem est *σατήρ* ab *ισάνας*. Demum apud Hebræos Siclus seu Schékel derivatum fuit a verbo Schákal, quod appendere ac librare significat. Inde apud Prophetam (y) dicitur: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos*. Neque res ista ab hodiernis moribus abludit, dum apud omnes fere nationes certum aliquod numorum genus reperitur, quod ad libram

(y) *Zacharia c. II.*



bram numerari consuevit. *Secunda* est, ex eadem materia, e qua olim famosa statua, quatuor Monarchiarum imago, Nabuchodonosori in somno oblata (z) veluti conflata fuit, ex eadem inquam materia, nimirum ferro, ære, argento & auro in quavis Monarchia numos fuisse cufos, pecuniamque confectam. Quippe in omni Monarchia homines rem atque summam pecuniariam, quasi commerciorum animam, tractabant numis, quos quatuor hæc metalla subministrabant, videlicet sub prima Monarchia Assyriorum Hebræi siclis, argenteis, minis & talentis: in secunda Persæ aureis Daricis, & talentis: in tertia Græci obolis, drachmis, statere, minis & talentis: in quarta demum Monarchia Romani assibus, sestertiis, denariis, & solidis, seu aureis, de quibus Didacus Covarruvias, Doctor Hispanus, magno rationum pondere ostendit, in Jure solidos pro aureis, & aureos pro solidis nullo discrimine facto usurpari. *Tertia* observatio est, quæ veterum numum aureum tangit. Hic Romæ sexaginta duobus annis serius argenteo percussus fuit, diversa tamen mole, ita ut alius drachmæ, alius didrachmi, tridrahmi, ac tetradrachmi, alius demum libræ pondus æquaverit.

(z) *Daniel. 2.*

verit. De Græcis, maxime Atticis aureis, Polemarchus & Pollux (a) testantur, illos valuisse drachmas duas. Apud Hebræos vero & Chananæos aureus numus siclus mole sua dimidio fere minor erat argenteo. Ut autem aurei numi valor, nostræ monetæ argenteæ comparatus innotescat, drachmam seu denarium aureum pro duobus florenis & dimidio, didrachmum pro quinque, tetradrachmum seu siclum pro decem florenis sumere oportet, ac ulteriori in quavis trium harum nationum moneta numerationi adplicare. Cæterum præclare de re numaria meriti sunt complures scriptores, inter quos Guilielmus Budæus, magnum Galliæ nomen, qui primus numorum Veterum vestigia sectatus est, eorumque indolem magnis laboribus in lucem protraxit, editis quinque libris *de Assè* inscriptis: Budæum secutus est Georgius Agricola, qui tribus libris metallorum ac numorum pretium illustravit: Wilhelmus Pyrekemerus, Patricius Norimbergensis: Didacus Covarruvias a Leyna, Hispanus: Matthæus Hostus, Germanus: quisque horum editis lucubrationibus veteres numos cum patriæ suæ numis diligenter conferre studuit.

CAPUT

(a) *Lib. 4. c. 24.*



CAPUT IV.
STUDIUM REI NUMARIÆ.

§. I.

Requisita ad hoc Studium.

XVII.

Quum de studio rei numariæ hoc loco agere constitui, non tam de numis, quam de numismatibus intelligi volo. Sunt enim, ut initio secundi capitis monui, satis multi ex antiquitatum studiosis, qui numos inter, & numismata discrimen faciunt, creduntque numorum nomine venire monetam vulgarem, quam vocamus *currentem*, cujusque usus est in quotidianis commerciis ac in publico foro: numismata vero esse monetam, a magnis Principibus vel Magistratibus cusam & ad delectationem, & ad eruditionem. Certe Suetonius meminit, *Augustum tempore saturnaliorum amicis suis numos omnis notæ, etiam Veteres, Regios, & peregrinos donasse.* Alii scribunt, numismata ab Imperatoribus Romanis honoris ergo oblata fuisse Principum

ac nationum Legatis, vel etiam tempore, quo Imperium capefferunt, aliasque res magnas gesserunt, victorias reportarunt &c. in vulgus memoriæ conservandæ causa fuisse sparsa. Unde ejusmodi numismata Romanis *Missilia* a mittendo, ac *numi Missiles* dicebantur. Hodie qui de numis scribunt recentioribus, eos dividunt in *historicos* seu *mnemonicos*, *iconicos*, & *monetas*: certe numismata modo non per plebeiorum manus vagantur, sed inter Principum, Optimatum, ac Eruditorum thesauros diligentissime adservantur. Quanti autem faciendum sit hoc studium, quo exacta Veterum (& quid prohibet, etiam Recentiorum) numismatum noticia comparatur, satis ex eo patet, quod tot nobiles Viri, rei literariæ peritissimi de hac liberalium disciplinarum parte copiose hætenus scripserint, & luculentos de numismatum figuris & inscriptionibus commentarios ediderint. Ex universa antiquitate, ait eruditissimus Carolus Patinus (b), ex universa antiquitate, cujus monumenta ad nos pervenere, nullam esse cognita digniorem ea, quam Numismata Symbolica referunt. Non minus in laudes studii hujus excurrens doctissimus Præsul Josephus Maria

(b) *Introd. ad hist. num. c. i.*

Maria Suaresius : *Numismata*, inquit, sunt memoriae tabulae adamantinae, gloriae perennis & immortalis charta, inclusumque est in numis nobile historiatarum opus, atque adeo alibi collapsam restituunt numismata, & illustrant historiam antiquam (c).

Ut autem rite instituatur illustre hoc studium, non pauca sunt, de quibus candidatum illius ipso in limine admonere oportet. Primum est *Origo numismatum*. Priusquam numismata invenirentur, moris erat apud Veteres Romanos, ut effigies Virorum de Republica bene meritorum in cera vel lapide formarentur: honos hic primis quidem temporibus solis Diis atque Deabus habebatur teste Plinio (d). At postea etiam ad Semideos, ad Reges, consules, & Imperatores transit. Hujuscemodi imagines diebus festis & solemnibus omnium conspectui expositae fuerunt, additis honorum titulis, dignitatum insignibus, & praecclare gestarum rerum symbolis, ut earum memoria ad similes majoresque ausus excitarentur posteris, quemadmodum commemorat Valerius Maximus (e). Sed quum imagines e cera nimium fragiles essent, ac depravationi obno-

(c) Cap. 2. dissert. de numis.

(d) L. 34. hist. nat. c. 4. (e) L. 5. c. 8.

obnoxia; illæ vero, quæ ex lapide fuerunt sculptæ, rariores ad paucorum venient conspectum, hinc ut æternitati consulerent, varium metalli genus, æs, argentum & aurum substituere, cui easdem effigies & ornamenta indere cœperunt, canente Poeta profano:

Illustres animas, & quas ab imagine laudes.

Sacro autem vate Prudentio (f):

En Cæsar agnoscit suum

* *Numisma numis inditum.* * scilicet imaginem.

Secundum sunt *ætates & periodi numismatum*. Prima erat Romanorum a tempore Regis Servii Tulli usque ad Gothorum adventum in Italiam. Ea enim ætate artes maxime florebant Romæ, & exquisitissima numismata cudebantur, quæ nostri ævi admirationem merentur, imitationem vix admittunt. Altera fuit ab initio regiminis Gothici usque ad ejus finem, quo temporis tractu quiescebant omnes bonæ artes, immo exulabant Gothi, Vandali, Hunni, Longobardi Italiæ, aliarumque regionum vallationi, & Romanorum fastui supprimendo intentis. Hujus ævi pauca, nec nisi rudia numismata est invenire. Tertia numeratur

(f) *Hymno III. Perist.*

tur ab excidio barbaricæ dominationis ad nostra usque tempora, ubi reflorescere artes, & incredibili studio, maximisque sumptibus partim prisca numismata ab interitu vindicari, colligi, ac inter cimelia reponi cœperunt, partim nova ad Veterum imitationem cudi & exornari. Tertium est *notitia pretii & æstimationis numismatum*, quæ desumenda est tum a materia, tum ab historia, tum a cælatura. *A materia* quidem, nempe metallo: numismata Regum, urbium, Deorum pleraque sunt ænea vel argentea, præter pauca aurea, quæ Macedoniæ Reges referunt: Consularia ut plurimum argento nitent, quamvis non desint multa, quæ auro etiam fulgent: Augustorum vero numismata auro, argento, ac ære cusa fere numerum & pretium excedunt. Ad materiem quoque spectat moles, quam *modulum* vocant periti: Æneorum uti copia ingens, ita & molis maxima varietas, nunc magni, nunc mediocris, nunc parvi moduli. Romanorum numismata, quæ auro argentoque constant, maximam partem exigua sunt, ac infimæ classis modulum obtinent. Majora sunt Græcorum, in quibus Reges & urbes repræsentantur, quin & crassitudine superant reliqua.

Magna vero diversi generis, aliqua etiam peculiaris moduli, non pauca in technophilaciis Principum* est reperire, suntque illa potissimum, quæ Regalibus donis, & Missilibus, de quibus dixi, adnumeranda sunt. Ab *historia* æstimationem accipiunt numismata, quum insignia facta, merita, victoriæ, triumphî, apotheoses in iis legantur immortalitati transcripta, & omnis ætatis memoriæ servitura, quæ ut latius propagarentur, æri potissimum incidebant, utpote metallo facilius parabili, ac de una manu in plurimas transituro. *Cælatura* vero maximum numismatibus priscis pretium conciliat. Cernuntur namque imagines heroum, Regum & Imperatorum, figuræ, symbola, sigilla, characteres, cæteraque parerga ad omnem artem ac elegantiam cum decore ac magnificentia singulari elaborata, ita ut metalli pretium cum arte & industria de palma certare videatur.

XVIII.

Quartum est *Ordo numismatum*. Nam rei hujus periti, ut vastissimum hoc & late patens studium in ordinem aliquem redigerent, neve immensum ejuscemodi numismatum acervum quasi molem indi-

digestam relinquerent, quinque potissimum ordines, & veluti classes eorum constituerunt.* *Prima* complectitur numismata Regum, quales sunt Reges Syriæ, quos a Seleuco usque ad Antiochum XIII. edidit in lucem Vaillantius, & post hunc plenius illustravit Erasmus Frœlichius S. J. Macedonici Reges similiter præclara numismata cuderunt: non minus habetur series Regum Ponticorum: Bythnicorum, Ægyptiorum, Cappadocum, Thracicorum, Parthicorum, Numidicorum, & Judaicorum: Gothici quoque Reges in auro & argento supersunt; metallum tamen & sigillum rude quid præferunt. *Secunda* continet numismata civitatum, quarum copiosa series haberi potest, qualemque exhibet Hubertus Goltzius, qui ex professo de iis scripsit. His accedat oportet series coloniarum, quarum numismata egregie explicarunt Harduinus S. J. Vaillantius, alique. Circa hæc notandum, quod in numis civitatum plerumque in parte averfa, ut vocant, Dei vel Deæ cujusdam imago, vel Genius civitatis, vel aliud quid, quod in magna ibidem veneratione habebatur, sit conspicuum. *Tertia* classis est numismatum Consularium, seu quæ cusa fue-

fuerunt tempore, quo Consules Republicam Romanam obtinuerunt, in quorum parte aduersa ut plurimum eminet caput galeatum, quod Urbem Romanam repræsentat, vel simulacrum cuiusdam Numinis: Sexto Urbis conditæ seculo Majorum quoque imagines incidebantur. Quapropter si in numismatibus effigies Romuli, Numæ Metelli, Reguli &c. occurrant, non ita accipiendum est, ac si viventibus ipsis, sed sæpe longo post eos tempore in illorum memoriam cusa fuerint. *Quartam* classem constituunt numismata Imperatorum, eo magis æstimanda, quo accuratius non solum continuam eorum sibi succedentium seriem, sed etiam bellorum, pacis fœderum, Imperii finium propagatorum, ac rerum mirabilium, quæ sub illorum regimine contigerunt, copiosam notitiam nobis suppeditent. In *Quinta* collocantur Ethnicorum profana Numina, Deorum Dearumque turba, in quorum numismatibus eorum nomina, officia, symbola, templa, aras, & regiones, ubi colebantur, agnoscere licet. His quinque classibus addunt alii *Sextam*, in qua numismata Virorum Illustrium & Heroum, ac Conditorum urbium vel Rerumpublicarum, ut Herculis,

lis, Jasonis, Cecropis, Romuli: item Legislato-
 rum, ut Lycurgi, Solonis, Zaleuci: etiam literatura insignium, ut
 Socratis, Pythagoræ, Archimedis, Euclidis,
 Anacreontis, Homeri, Virgillii &c. Heroinarum
 quoque, & Reginarum, uti Cleopatrarum, Zenobiarum,
 Arsinoes, Phædræ &c. aliorum denique celeberrimum
 Virorum, ut Thesei, Meleagri, Hectoris, Diomedis,
 Ajacis, Locri, Telamonii, quorum numismata
 multa in Italiæ cimeliariis se conspexisse asserit
 Spanhemius: & Jobertus similia superesse
 adhuc testatur de aliis Athleticis, quorum
 victoriæ palmis, & curribus bijugis, ac
 quadrijugis signantur. Verum rectius alii
 hanc sextam classem inserunt Quintæ, quæ
 Veterum mos fuerit, ejusmodi illustres Heroes
 ac Heroinas per apothecas elevare in cælum,
 ac inter Numina collocare. Horum numismata
 sunt peculiaris moduli, & rarius spectanda
 se præbent. Atque ordinem istum in quinque
 classes distribuendi numismata eorum Custodes
 in gazophylaciis quoque observare solent,
 separando illa in scriniis ad rem hanc
 destinatis, ut commodius & secundum series
 curiosorum oculis exhiberi queant.

XIX.

Porro, qui studio huic se impendit, & ad plenam perfectamque intelligentiam numismatum pervenire cupit, huic opus est *primo*, ut in Græca & Romana historia domesticus sit, ac eruditionem necessariam hauriat ex ipsis fontibus, quales sunt Herodotus, Dion, Dionysius Halicarnasseus, Polybius, Livius, Tacitus, Velleius Paterculus &c. *Secundo*, ut antiquam & novam tum geographiam tum chronologiam quam optime calleat, ad quod negotium tabulæ chronologicæ Petavii, & Geographia Brietii plurimum servient. *Tertio*, ut eos scriptores sibi perquam familiares reddat, tam qui ex professo antiquitates græcas & latinas tractarunt, uti sunt Suidas, Pausanis, Philostratus, Rhodiginus, Gyraldus &c. quam qui rem numariam commentationibus suis illustrarunt, quos paullo post producam. *Quarto*, ut numismata ipsa diligenter perlustret tum quæ æri incisa in libris existant cum symbolis suis ac inscriptionibus, tum quæ in diversis ærariis & gazophylaciis adservantur. Sic enim fiet, ut e notis & imaginibus unum ab altero numismate quamprimum discernere,

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VI. F &

& vetustos characteres ac inscriptiones abbrevitatas, quæ plurimum negotii facessere solent, sine multa divinatione legere ac interpretari queat. *Quinto*, ut falsa & ficta numismata distinguere a veris & genuinis discat. Sunt enim non pauca, quæ artifices aliqui (quemadmodum Bassianus, Sambellus, Celinus, & in Hollandia Carteron, in Italia Joan. Cauvinus Paduanus, atque Laurentius Parmesanus) magna quidem industria, sed minore fide ad Veterum imitationem in auro argentove elaborata Principibus, aliisque minus intelligentibus magno pretio vendiderunt. Dignoscuntur autem multiplici ratione, partim e bonitate metalli prisca, cui non æquatur novum: partim quod ficta numismata sint igne liquata & fusa, quum antiqua sint malleo subacta & cusa; unde in fictis hinc inde adparent exiguæ arenulæ, quæ sub ipsa fusione insinuare se, ac foramina parva, quæ vacua relinquere solent: partim deprehenduntur ex pondere, quum majus insit illis, quæ cusa sunt, quam quæ fusa: partim e figuris, quæ in fictis non eam majestatem spirant, qualem in veris, neque etiam tam curate ac scite sunt fabrefacta: partim ex characteribus inscriptionum non ita graphi-

cis : partim quod una pars numismatis non respondeat alteri, nec effigies cum symbolis & sigillis, nec ista cum illa bene convenient, utpote non satis apte mutuata e veteribus numis, & recentibus adplicata.

§. II.

Scriptores & Calcographi numismatum.

XX.

In ipso statim limine hujus libri quosdam prodidi Viros Clarissimos, & omnis ætatis memoria dignissimos, qui vel primi fundamenta pulcherrimi hujus studii qua labore ac industria sua, qua doctis lucubrationibus jecerunt, vel protractis in lucem Veterum monumentis scientiam numismatum magnis auxerunt incrementis. Juvat nunc brevem & horum & aliorum Catalogum texere, ac plerosque vel certe celebriores sub unum conspectum dare, ut consuli possint ab iis, qui operam suam huic studio navant. Primus quantum sciam fuit, qui de re numaria scripsit, Card. *Sadoletus*, purpura & doctrina insignis, ac eruditis notissimus. Hic Illustrium virorum imagines Romæ

in lucem dedit anno 1517. sed ut omnia initia esse rudia solent, & typus squallidus est, & multa numismata, quæ allegantur, non sunt genuina. Hunc insecutus est Joannes *Huttichius*, qui anno 1525. Imperatorum & Consulum Romanorum elenchum cum averfis partibus Argentorati produxit. Wolfgangus *Lazius* Rempublicam suam Romanam, de qua scripsit, & res Græciæ veteribus numis multum exornavit, Viennæ an. 1551. Jacobus a *Strada* Mantuanus Thesauri Antiquitatum epitomen nobis reliquit, Lugduni impressam an. 1553. & ejus frater Octavius a *Strada* vitas Imperatorum cum numis averfis, Francofordiæ. Abrahamo *Ortelio*, insigni ac Regio Cosmographo, Deorum Dearumque capita & effigies, Antvverpiæ an. 1559. æri incisas debemus: numerorum vero notitiam insignem & copiosam reperire est in illius Theatro orbis terrarum. Fulvius *Ursinus* Romanus Familias Veteres Romanas pene oblitteratas e numismatibus restituit, Romæ an. 1577. Abrahamus *Gorlaeus* sigillarium annulorum Promptuarium an. 1601. Lugduni Batavorum concinnavit. Gaspar *Waserus* de numis Hebræorum, Chaldæorum, & Syrorum edidit Tractatum an. 1605. Tiguri. Jacobus

bus *Biacus* numismata aurea, argentea, ærea cum adversis partibus: item numismata aurea Impp. a Julio Cæsare usque ad Valentinum cum notis posteritati reliquit Antverpiæ an. 1617. Excellens Opus hoc in linguam latinam Andreas Schottus S. J. transtulit.

Præter hos, qui veluti viam straverunt ad arcem rei Numariæ, non minus celebres occurrunt alii: & quidem de Augustorum florentis ævi numismatibus, qui integram eorum seriem primus conscripsit, fuit Adolphus *Occo*: secuti sunt *Æneas Vicus*, *Sebastianus Erizzus*, *Patinus*, *Angelonus*, *Tristanus*, *Mediobarbus*, *Begerus*, *Harduinus* S. J. *Vaillantius*, *Pedrusius*, & qui prioris opus continuavit, *Petrus Piovene* S. J. Augustorum vero declinante Imperio regnantium numismata insigni studio collegerunt celeberrimi Viri *du Cange* & *Bandurius*. Regum, Principum & urbium effigies, nomina, symbola doctis commentariis in lucem produxere *Vaillantius*, *Harduinus* in libro de numis Herodiadum, & de numis populorum & urbium, *Card. Norisius* in Epochis Syro-Macedonum, *Begerus*, *Spanhemius*, eruditissimus *Frælichius* in Annalibus Regum Syriæ, *Petrus Sebazius* S. J. in historia Ducum Styriæ. Magistratum & Familia-

rum Romanarum historiam e numismatibus eruerunt, hisque locupletarunt Carolus Sigonius, Onuphrius Panvinius, Hubertus Goltzius, Stephanus Vinandus Pigbius, Norisius, Gorlaeus, Liebeus in Gotha Numaria. Græcorum numi, quos Regum suorum effigiebus, ac variis eruditis, ænigmaticis, ac hieroglyphicis imaginibus, quæ singulis Provinciis erant propriæ, ditarunt, tot difficultatibus obnoxii videbantur, ut a diligentiore cura atque indagine illorum bene dijudicandorum plurimos absterruerint: sed hanc difficultatem absterferunt magna ex parte Goltzius, qui æri eos incidit, & præstantes duo Viri Andreas Schottus S. J. ac Ludovicus Nonnius Medicus, dum historiam Asiæ minoris, Insularum Ægei maris, Græciæ, Siciliae, & partis Italiæ, olim magna Græcia dictæ, fundatasque a Græcis colonias magno cum labore, majorique ingenio eruderarunt. Universim vero de numismatum studio præclare meriti sunt: Joannes Harduinus, de quo dixi, & de quo testatur Jobertus (g), quod ingenium natus fuerit ad scientias natum cum profundo vivoque judicio, felicissimum in arcanis rimandis: memoriamque rerum lectarum tenacissimam. Inter alia librum edidit

de

(g) *La science des Medailles,*

de re monetaria Veterum Romanorum, item alium de populis & urbibus, quorum memoria in numismatibus exstat: ejusmodi numismatum multa millia collegit, & tam dextre explicavit, ut vix sit pagina, ubi non aliquid novæ eruditionis palam fiat: Antonius Augustinus, Tarraconensis Episcopus Dialogis quos conscripsit de Antiquitatibus Romanis, & Veterum numis: Anselmus Bandurius Bibliotheca numaria: Jobertus S. J. Notitia rei numariæ, edita Lipsiæ an. 1695. Erasmus Froelichius S. J. Numismatis Veterum Regum Macedonia, Bithyniæ, Numidiæ, & Mauritaniam, Alancorum, Bosphori, Ponti, Thraciæ.

XXI.

Non solum autem ad Veteris, sed & ad Recentioris ævi numismata studium, de quo agitur, se se extendit; quamvis fateri oporteat, posterius istud superatis, quibus prius obnoxium erat, difficultatibus longe expeditissimum esse, quum & accurata temporum proximiorum historia, & Chronologia ac Geographia plurimum emendata maximum subsidium præbeant, simul etiam cognitio plenior antiquorum numismatum, ad quorum imitationem recentiora fabrefiunt, lucem clarissimam affundat. Certe habemus longam seriem

tum Pontificum, tum Cæsarum, tum Regum & Principum sacrorum æque ac profanorum, tum Rerumpublicarum, tum Urbium: nec est illustre factum recentioris ævi, quod non in hisce numismatibus inveniri ac legi possit. Repræsentant nobis heroum effigies, adparent pugnæ terræ marique commissæ, obsidiones urbium, triumphales pompæ, fœdera, connubia, familiarum insignia, ludi Trojæ seu decursiones equestres, quas *Torneamenta* Germani vocant, Ecclesiæ Romanæ sacra monumenta, Sanctorum Apotheoses, annorum quos dicunt Jubilæorum solemnes ritus, cæteraque quæ ad Religionis negotium pertinent. Ubique adest Epochæ, seu annorum numerus, ita ut vix ullus fraudi vel adulterio locus pateat. Facem veluti prætulit recentioris ævi numismatum collectioni ac Numothecæ Joannes Jacobus Luckius Argentoratensis *in Sylloge numismatum elegantiorum, quæ diversi Imperatores, Reges & Principes ab anno 1500. ad annum usque 1600. cudi fecerunt*, edita Argentinæ an. 1620. Quamvis autem in multis hallucinetur, studium tamen recentiorum numorum, præsertim Germanicorum, amplius perpoliendi occasionem dedit. Secutus hunc est felicioribus auspiciis Jacobus a Mellen Lubecensis an. 1698.

qui

qui Lubecæ vulgavit *Syllogen numorum ex argento uncialium, vulgo Thalerorum seu Imperialium, quos Imperatores & Reges Romanorum, nec non Austriae Archiduces signari jusserunt.* Norimbergæ sub seculi hujus finem prodiit opus inscriptum: *Tbesaurus Numismatum modernorum hujus seculi, sive Numismata mnemonica & iconica, quibus præcipui eventus & res gestæ ab anno MDCC. illustrantur, figuris æneis expressa, addita Latina & Germanica explicatione.* Præterea Joan. David Kœhlerus anno 1729. *Delicias numarius* usque ad nostram ætatem, & Hieronymus Lochnerus *Collectionem numorum memorabilium* posteritati reliquerunt.

Ut vero de Cæsarum & Regum ævi recentioris numismatibus pauca dicam, sincera numismatum Imperatores exhibentium series initium ducit a Fridrico III. (secundum alios IV.) circa annum 1453. nam illi, quam Octavius Strada a Julio Cæsare usque ad Imperatorem Mathiam producit, modica fides adhibetur. Hispaniæ Reges a Philippo I. Caroli V. patre in numis genuinis vivere incipiunt. Galli non interruptum ordinem suorum Regum a Clodovæo exhibere conantur: fortassis autem ultra Carolum M. se non ex-

tendit. Maximilianus I. Imp. magnis impensis confici jussit Austriacæ Domus numismata. Sed horum plenior notitia in lucem prodiit hac ipsa, qua hæc scribo ætate in Vasto Opere, cui titulus: *Monumenta Augustæ Domus Austriacæ, in quinque Tomos^o divisa*: cuique operam insignem navarunt duo Viri Clarissimi Marquardus Herrgott, & Rustenus Heer, Ord. S. Bened. in Principali Monasterio ad S. Blasium. Duos Tomos primos videre mihi licuit (an reliqui jam lucem aspexerint, ignoro) Primus complectitur sigilla & insignia Marchionum, Ducum, Archiducum Austriæ: Secundus Numothecam Principum Austriæ, qua continentur numismata mnemonica atque historica, quæ horum jussu, vel eorum gratia ab aliis in lucem prodierunt, nec non monetæ, singula æneis e tabulis expressa: Tertius exhibebit Pinacothecam, in quam Marchionum, Ducum, Archiducum Austriæ utriusque sexus effigies, simulacra, statuæ, anaglypha, cæteraque cælata, sculpta, pictaque Austriacorum monumenta tabulis æneis incisa referentur, adjecta singulorum descriptione. Aliud pulcherrimum rarumque in paucis opus vidi, quod adservatur in Bibliotheca Monacensi S. J. scilicet grandem Tomum, in quo Ludovici XIV. Gal-

lorum Regis, totius veluti vitæ historia continetur: effigies primum Regis Juvenis, tum Viri, demum Senis in parte adversa fulgent: in averfa vero omnia illius facta belli pacisque tempore, emblematicis ingeniose simul ac artificiose ad vetustatis invidiam cupro incisus illustrata, subjunctis intra nobilia parerga inscriptionibus. Insigne Opus hoc est partus Viri multis aliis eruditis scriptis clari, Claudii Francisci Menestrier S. J. nati Parisiis 10. Martii an. 1631. & mortui ibidem an, 1705. 21. Januarii, uti scribit P. Jobert. Præcipuam vero hoc in loco mentionem merentur numismata Pontificum: horum effigies e numis & picturis excerptas, absque tamen averfa parte, spectandas præbuit Dominicus Tempesta, Civis Romanus, continua serie a Christo & D. Petro usque ad Clementem VIII. in libro de vitis Pontificum. Auxit thesaurum hunc Ciacconius multis numismatibus: longe pluribus locupletavit Augustinus Oldoinus S. J. Nemo tamen ex his propositorum numorum latentem aperuit sensum, aut inscriptiones & imagines adpositas satis explicuit. Primus tantæ molis opus aggressus est Philippus Bonanius S. J. Sunt autem duplicis classis numi Pontificum: quidam sunt fusi, quidam cusi: prioris

ge-



generis habentur a D. Petro usque ad hæc tempora, in quibus eminent duæ claves prægrandes erectæ ac decussatim stantes cum epigraphe : *Claves regni cælorum*. Posterioris sunt, qui series Pontificum a Martino V. usque ad ævum nostrum exhibent. Hæc ipsa numismata, videlicet a Martino V. usque ad Innocentium XII. primus ut dixi, publicam in lucem dedit Bonanius profecto elegantissima. Effigies Pontificum quam accuratissime sculptæ sunt cum ornamentis, quibus quovis tempore diversis usi sunt, in parte antica : in postica vero sunt ingeniosissima, pulcherrimaque simulacra virtutum, rerum præclare gestarum, ædificiorum, templorum, pontium, fontium, jubilæorum, annonæ, pacis conciliatæ, triumphorum de hæresibus, fœderum cum Christianis Principibus, victoriarum de Turcis relatarum, Insignium gentilitiorum, Apostolorum Petri & Pauli, naviculæ ac petræ intra fluctus illææsæ, aliaque symbola Ecclesiæ perennantis, Pastoris ovium Christi, solemnium dierum, quibus electi ac coronati sunt Pontifices, Apotheleos Sanctorum, imaginum Christi & Deiparæ, Principum Christianorum Ecclesiæ, ac Sedi Apostolicæ devotorum, virtutum præcipue Justitiæ, Pietatis, Prudentiæ, Provi-

den-

dentia, Munificentia &c. obeliscorum & columnarum Trajani & Antonini sub Sixto V. Vaticanæ Basilicæ, Castelli S. Angeli, urbis Romæ amplificatæ &c. profecto facies averfa seu postica ad omnem elegantiam numorum antiquorum & profanorum est exornata, ita ut vetera numismata circa figuras, instrumenta, habitus personarum, inscriptiones &c. non tam æquare, quam multis novis inventis ad res graphice exprimendas additis superare videatur. Omnia hæc Bonanius luculenter exponit, & erudite interpretatur.

Illud præterire nefas, dum de sacris numismatibus ago, quod Romæ vidi apud P. Andream Budrioli S. J. ibidem etiamnum decrepita licet ætate degentem, Virum Religiosissimum, qui admirabili sane studio numismata collegit ac penes se habet, quæ in omnibus fere Europæ Catholicæ regnis ac regionibus in honorem Beatissimæ Virginis sine labe conceptæ a ducentis propemodum annis cusa fuerunt, variis cum symbolis, emblematis ac inscriptionibus. Plures sunt numismatum horum centuriæ ex auro, argento, & cupro: insigne profecto monumentum Mariani supra peccatum originale triumpho, & thesaurus profanis ejusmodi gazis non quidem pretio, sed indole ac pietate longe superior.

CAPUT



CAPUT V.

COGNITIO NUMISMATUM.

§. I.

Pars adversa.

XXII.

Qui numismata rite cupit cognoscere, omnium primo ad duas illorum partes attendat oportet, quas alii geminas numi facies adpellant. Prima est, quæ vocatur *Adversa* seu Antica, quæ caput seu effigiem Augusti, Augustæ, Cæsaris, Regis, Pontificis Maximi, Dictatoris, Consulis, Pro-Consulis, Triumviri, item Dei alicujus vel Deæ præsefert, uti videre est de Julio Cæsare, Augusto, Bruto, Cassio, Æmilio, Lepido, Marco Antonio apud Hubertum Goltziura: simulque nomina & honorum titulos ostendit, etiam in partem alteram aliquando excurrentes. Secunda est *Aversa* pars seu postica, in qua res cum laude gestæ, victoriæ, triumpho, ludi, sacrificia, foedera pacis, devicti populi, coloniæ, frugum abundantia,

tia, liberalitas & clementia Cæsarum, aliaque memoratu digna, quæ sub cujusque imperio contigerunt, symbolicis plerumque figuris exhibentur, cujusmodi sunt corona, cornucopiæ, quod una Gratiarum gestat, trophæum, victoria agens currum triumphalem, victoriola, seu parva victoriæ imago, orbi insistentes, & a Genio porrecta, plaustra cum bobus & vexillis, Pegasus, Neptunus, Aquila, Lupa cum Romulo & Remo, urnæ cum inscriptione, amphitheatra, aræ fumantes &c. De utraque harum partium aliquanto curatius heic agendum est. Et quidem de prima seu Adversa: Capita Augustorum, Regum, aliorumque ut plurimum tecta sunt. Horum autem tegminum, e quibus inter se dignoscuntur effigies impressæ, multiplex genus est. Antiquissimum erat *Diadema* Regium seu fascia, quæ circa frontem & caput nunc arctius nunc latius circumit, binis retro tæniis in collum defluentibus. Hoc diademate utebantur quoque post Constantinum M. Cæsares ita, ut fasciam una vel duplici gemmarum vel unionum serie ornarent, quod etiam conjugibus suis permisere. *Corona*, quæ Regibus alias propria est, adhibuerunt etiam Cæsares: primam e lauro gestasse invenio in Goltzii Fastis Numam

Pom-

Pompilium. Post hunc Julius Cæsar plerumque corona seu laureo sermo redimitus comparet, cujus gerendi potestatem ipsi Senatus fecit, eumque successores constanter sunt imitati. *Corona Radiata*, seu radiis prominentibus cincta illis Principibus imponebatur, qui vel vivi vel mortui inter Divos relati fuerunt: *Rostrata vero*, veluti ex rostris navium contexta obigit victoribus in prælio navali, qualis est M. Agrippæ, quam ab Augusto obtinuit, ubi navigia Pompeii, & Marci Antonii superavit, cujus numismatis inscriptio est in parte adversa: M. AGRIPPA. PRAEF. ORAE. MARIT. ET. CLASS. in averfa vero Neptunus cernitur cum Tridente, manu læva tenens delphinum, pede autem sinistro insistens rostro navigii cum subscriptione EX. S. C. *Muralis* corona in victoriæ præmium cessit illis, qui in muros civitatis primi sunt eluctati: similes coronas etiam gestant capita Dearum, quæ urbibus præsident, ut Cybele Dea terræ, ac Genii provinciarum & civitatum.

Quercina redimiti fuerunt, qui patriam & cives servarunt: item qui publicis in ludis luctando, vel ad metam currendo victores evaserunt. *Sacerdotalis* denique constituta fuit pro summis Pon-

Pontificibus, fiebatque e capite bovis, quod circumdederunt vasa, in quæ reponere solebant exta animalium in sacrificiis, & funes, quibus ad aram trahebantur victimæ. Hujusmodi corona in aliquo e numis Augusti reperitur. *Cassis* seu *Galea* tegmen erat capitis tam Regum quam Cæsarum, quin & Deorum, ut ex antiquissimis numis Græcorum & Romanorum adparet: præcipue vero Romæ caput hoc insigni, seu galea splendebat, prominentibus plerumque geminis alis instar petasi, quem Mercurius gestat. *Tiaræ* ad modum coronæ, quali nunc Pontifices utuntur, factam Persici ac Parthici Reges in capite portant: *Mitram* vero Reges Phrygiæ & Armeniæ, quemadmodum numi veteres Midæ, Atyos, & Zemiscis monstrant. Non pauci Græcorum Regum exuvias leonis adhibuerunt super capita elatas, uti Philippus Pater Alexandri, quos imitati sunt etiam Romani quidam Cæsares Commodus, Alexander Severus, aliique. *Peplum* denique, seu *Velum*, quod non raro e Principum ac Imperatorum capite supra dorsum defluit, vel officii Pontificii, vel eorum apotheseos signum est, quo honore omnes Cæsares usque ad Constantinum afficiebantur. Ultimis etiam temporibus Imperatorum ca-

pita radiante quodam nimbo cincta videntur, qualis modo Sanctorum imaginibus adhibetur, uti patet e numis Mauriti, Phocæ, aliorumque.

Præter effigies hucusque recensitas memoratu dignæ sunt etiam illæ, quas *dimidiatas* vocant, in quibus scilicet ambæ quoque manus conspicuæ sunt. In his adparet non raro pomum Imperiale denotans regimen totius orbis, cui victoria alata insistit: sæpius vero crux eminent post Constantinum M. quo signo Imperatores regnum Jesu Christo in acceptis referebant. Præterea in sceptris Cæsarum, maxime Constantinopolitanorum, superiori parte pomum & Aquilam videre est, velut symbolum, quod Principes voluntate sua & potentia imperent. Primus erat Phocas, qui crucem scepro imposuit. Aliquando effigies dimidiatæ portant scutum & cassidem, atque in manu vel humeris contum: Si Principes truncati comparent, gestant sceptrum, quod a Latinis *Ferula* vocatur, seu longam perticam superius quadratam, inferius nonnihil in planum declinantem; estque signum justitiæ vindicantis, ac sceleratos punientis. In numismatibus Constantini M. ejusque Familiæ Augustæ Labarum se prodit, instar vexilli equitatus, cui impressum
signum

signum ✕, quod triumphum crucis Christi, aut literæ A & Ω, quæ divinitatem ejus indicant. Fulgur quod aliquoties capitibus imminet, quale in numis Augusti visitur, dominationem supremam ac diis parem significat. Sunt quædam effigiarum dimidiatarum, quæ præter hastam & clypeum in manibus tenent frenum equi, ac si super hunc sederent, in signum victoriæ de hostibus relatæ. Demum quo plures effigies in numis expressæ sunt, eo pretiosiores habentur, ut qui Augustum simul & Julium, Vespasianum & Titum referunt: vel omnino tres, uti est ille Severi cum duobus filiis Geta & Caracalla quin & quatuor, quemadmodum Trajani, ad cujus pedes se prosternunt tres Reges, quibus diademata imponit cum adscriptione: REGNA ADSIGNATA.

XXIII.

Venio ad effigies Deorum Dearumque quæ ex additis symbolis cuique propriis dignoscuntur. *Jupiter* aquilæ insidet, vel eam penes se stantem habet, dextra fulmen rotat: vehitur etiam bigis & quadrigis, ac trifulco armatus. *Neptunus* tridentem tenet, & conchæ insistit, quam equi Marini aut Delphini per cærulea ducunt. *Æsculapius* cum serpente, qui
 G 2
 spi-

spiris suis baculum erectum involvit. *Bacchus* corona ex pampinis redimitus cum scypho in manu, vel cum thyrso hedera cincto: currus ejus trahitur a tygribus. *Canopus* Ægyptiorum Deus cum vase figulino, e quo caput prominet cum flore Isis. *Apollo* pone suspensa lyra. *Apis* quem colebant Ægyptii cum tauro gerente intra cornua herbam Loton: supra caput autem Apis crescens luna resplendet. *Mercurius* cum petaso & caduceo. *Mars* pedibus incedens cum hasta & casside, aut vectus biga vel quadriga cum lancea & scuto. *Vulcanus* pileo turbinato tectus cum forcipe penes collum. *Dii Penates* seu duæ effigies Deorum juvenum, lauro redimitæ cum literis D. N . *Deos Terminos* exhibent statuæ, quibus nec pedes sunt, nec manus: unde Jupiter Terminalis. *Pollux & Castor* plerumque equis sublimes adsunt cum testis ovorum in capite, cui imminent binæ stellæ. *Solem* orientem repræsentat figura nuda, radiis circa caput diffusis, agitansque scuticam, qua celeritas cursus indicatur. *Juno* caput cincta peplo defluente, addito ferto ex lauro: Junonis pronubæ medium corpus tegit peplum, quod dicitur flammeum: Juno Sospita comparet caprina pelle vestita, cui ossa adhærent. *Miner-*

va cum casside, ac noctua cernitur. *Diana* mediam lunam vel in veste venatica vel supra capitis verticem gerens: currum trahunt cervi: *Diana* Ephesina Polimorphis seu multorum uberum, quoniam credebatur mater omnium rerum: ad pedes jacent cervi & boves, capiti impositus est cophinus frugum. *Astarte* Dea Sidoniorum, vecta curru duabus rotis instructo. *Cybele* coronam gestans, in qua turres eminent, cum leone ad pedes. *Ceres* aristas coronata, facem manu præferens ob quæsitam Proserpinam: currui quo vehitur, dracones juncti sunt. *Venus* pomum Paridis manu sustinet; pone Cupido & gubernaculum ad denotandum, quod in homines exercet, dominium: adparet in aliquibus numis vecta bigis aut quadrigis, aurigantibus Cupidinibus. *Vesta* cum sella seu pulvinari. *Dearum* nomine veniunt quoque *Pax* præferens ramum olivæ & facem, cujus flammis arma cremantur. *Providentia* cum bacillo in manu, quo globum tangit. Effigies hæc sæpe indicat Principis munificentiam, qui in annonæ caritate succurrit. *Abundantia* portans aristas ex acervo tritici prominentes. *Pietas* non raro portat in manu templum vel thuribulum: ad pedes

habet ciconiam, symbolum pietatis erga parentes. *Libertas* cum pileo in una manu, cum virga in altera: invehitur etiam quadriga. *Liberalitas* quadratam tabulam in manu gestat, certis punctis distinctam, velut numeris beneficiorum, quæ confert, aut instar cribri affusum liquorem transfundentis. *Pudor* peplo tectus digitum imponit ori. *Securitas* insidens currui, & caput manu sustentans. *Mæstitia* humi vel supra saxum sedens, demisso vultu, & capite cubito innixa. *Fortuna* modo sedens, modo stans cernitur tenens gubernaculum: lateri uni adstat rota, alteri cornu copiarum: non raro insistit rotæ volubili, crinibus & velo ventis agitato. *Æquitas* cum bilance. *Æternitas* solem & lunam in manu tenet, quæ astra Ægyptii credebant esse immortalia.

Plures sæpius effigies seu figuræ in una numi facie solent conjungi. Sic *duæ figuræ*, inter quas nomen OMONOIA, notant fœdus, quod duæ civitates invicem pangunt. Aliæ binæ, infra quarum pedes rota est, & quæ digitum supra os ponunt, notant vindictam maleficiorum, & Deam Nemesein. *Tres figuræ*, quæ se amplectuntur, sunt tres Gratiæ seu Charites: Aglaia, Thalia, &

& Euphrosyne, Veneris & Liberi filia. Tres alia figuræ, quæ faces, arma, & pugionem in manibus, & crinium loco angues in capite monstrant, Furia sunt, seu Eumenides & Erinnyes: Alecto, Typhione, ac Megæra, Acherontis & Noctis filia. *Quatuor parvæ figuræ* indicant quatuor anni tempora. Hyems vestita est pellibus; Autumnus habet leporem ad venationis tempus notandum, Ver gestat cophinum floribus refertum; Æstas falcem ad fruges demetendas. Præter has alia sunt figuræ aquam urna fundentes, Fluviorum indices: alia, quæ in lecto jacent, ceremonias ethnicas exhibent, quas *Lectisternium* adpellabant Veteres. Nam pestis aut calamitatis publicæ tempore Numina sua Apollinem, Dianam, Cererem in pretiosis lectis composuerunt ad ea demulcenda, & plagam averruncandam, qui ritus incepit teste Livio anno V. C. CCCLVI.

§. II.

Pars averfa.

XXIV.

Continet pars hæc postica immensam figurarum, instrumentorum, animalium, statuarum, anaglyphorum, aliorum-

rumque parergorum copiam, plurimumque negotii faceffit Candidatis hujus studii, quum res plurimæ cognitu difficiles numismata lustrantium oculis liberalissime se se objiciant. Verum & hæc difficultas mitigari potest, quin & superari, si singula ordine pertractentur, & ornamenta ista in certas classes distribuuntur, quoniam multa sunt multis communia. Primis temporibus bos aut ovis figurabatur in numis: postmodum Dii, ut Janus biceps, Castor & Pollux, vel caput Romæ: tum currus victoriæ, quibus duo vel quatuor equi jungebantur; unde numi victoriati, bigati, quadrigati, de quibus alibi egimus, fuere adpellati: deinde ubi imagines Majorum, Regum, illustrium Virorum ac Cesarum in adversa parte signari cœperunt, in averfa imprimebantur nomina, officiorum instrumenta, & monumenta familiarum, quo ex fonte tanta fluxit copia signorum, quibus dignitatum & Magistratum, heroi-
corum facinorum, celebrium victoriarum, & omnis generis rituum notitiam, quæ ad nos usque pervenit, in acceptis referre debemus. Hæc de ortu & progressu numismatum. Jam in quinque potissimum classes ea, quæ in his observatu digna, immo scitu necessaria sunt, commode di-

distribui posse mihi videntur, nimirum agendo de Inscriptionibus, de Instrumentis variis, de Animalibus, de Figuris, de signis Coloniarum.

Quantum ad Inscriptiones adinet, I. in aliquibus numis (de parte averſa loquor) nil niſi inſcriptiones occurrunt. Nam characteres in circulum ducti, ut CÆſAR. IMP. vel CÆſAR COS. QUIN. DICT. PERP. ſeu *Cæſar, Conſul quintum, Dictator Perpetuus* ad partem adverſam pertinent. Tales inſcriptiones tum in latinis tum in græcis numismatibus reperiuntur, in quibus ſoli characteres S. C. *ſenatus conſulto*, vel Δ. Ε. *Διμαςχινης ἐξουσίας*, ſerto ambiente includuntur. II. Aliquæ harum inſcriptionum ſunt ſpecies epocharum, ut PRIMI DECENNALES. COS. III. in numo M. Aurelii: LUDI SÆCULARES. VOTIS. V. X. XX. &c. ſeu *Votis Quinquennialibus, Decennialibus, Vicennialibus* in Auguſto Imp. Aliæ ſingularia facta exhibent, vg. VICTORIA GERMANICA. IMP. VI. COS. III. in M. Aurelio: in Auguſto SIGNIS PARTIS. RECEPſIS S. P. Q. R. III. in quibusdam adparent honorum tituli, quibus Principes ornabantur, ut S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI in Trajano & Antonino Pio. ADSERTORI PUBLI-

CÆ LIBERTATIS in Vespasiano. IV. Nonnullæ Inscriptiones signa produnt beneficiorum a Principibus acceptorum, veluti LIBERTATE P. R. RESTITUTA. EX S. C. in Galba Imp. S. P. Q. R. OB. CIV. SER. *ob cives servatos.* V. sæpe nonnisi nomina personarum, Magistratum &c. exprimuntur, ut in Julii numis videtur. Q. ÆMILIUS. Q. FABIVS BUCCA. III. VIR. A. A. A. F. F. id est, *Triumvir, auro, argento, ære stando, feriundo.* VI. Multoties epochæ temporum cernuntur, tanquam signa auctoritatis publicæ, seu concessionis a Senatu, populo, aut Principe factæ. Ita additur annus Consulatus, Potestatis Tribunitiæ, Urbis Conditæ: COS. IER. COS. III. COS. QUINT. T. P. V. C. VII. In numis Imperatorum leguntur sæpe nomina civitatum, in quibus cusi fuerunt: primis temporibus nomina hæc loco inscriptionum fuerunt inserta; posterioribus vero post Constantinum subscriptionis loco v. g. P. T. *Percussa Treviris.* S. M. A. *signata moneta Antiochia.* CON. OB. *Constantinopoli obsignata &c.* VIII. Adparent etiam signa valoris, præcipue in numis Consularibus: Talia sunt X. V. Q. S. L. - LS. X. denotat Denarium. V. et Q. Quinarium. S. semissem. L. L. S. sestertium IX. Conspiciuntur quoque in multis numis-

mismatibus tituli honorum, quibus Principes honorabantur *vel ob egregiam indolem*, ut OPTIMUS. FELIX. PIUS. *vel ob victorias* GERMANICUS. BRITANNICUS. DACICUS. PARTHICUS. GENIO SENATUS. GENIO EXERCITUS. GENIO POPULI ROMANI. DIVO. DEO. ET DOMINO CARO. *vel ob beneficia* CONSERVATOR URBIS. FUNDATOR PACIS. RESTITUTOR ORBIS. LOCUPLETATOR ORBIS TERRARUM. SALUS GENERIS HUMANI. GAUDIUM REIPUBLICÆ. DELICIUM ORBIS &c. *vel ob monumenta publica* BASILICA ULP. AQUA MARTIA. FORUM TRAJANI &c. Scribebantur autem hæc vel integris, vel abbreviatis literis. X. Ex characteribus super signa militaria positis & in orbem ductis patefiunt nomina legionum & exercituum, nec non e quibus nationibus constati fuerint. ita LEG. GEM. *vel* PAC. *vel* PARTH. *vel* ULP. id est, *Legio gemina, Legio Pacifica, Parthica, Ulpia* LEG. I. ADI. P. F. *Legio prima adiutrix, pia, fidelis.* LEG. II. TR. FOR. *Legio secunda Trajana fortis.* LEG. XII. GEM. M. V. *Legio duodecima Gemina Minervia Victrix.* LEG. XXX. ULP. *Legio tricesima Ulpia.* Itinera quoque Ducum & exercitus signabantur eg. PROF. AUG. *profectio Augusti.* TRAJECT. AUG.

Trajectus Augusti. XI. Ad ludos notandos urnam adhibebant Veteres, e qua palma vel sertum ascendit cum inscriptione CER. SACR. PER. *Certamina sacra periodica.* vel CERT. QUINQ. ROM. CON. *Certamina quinquennalia Romæ constituta.* vel SUB NERONE. LUDOS QUINQ. INSTITUENTE. XII. Vota publica, quæ singulis quinquenniis aut decenniis fiebant Cæsaribus, notabantur hac epigraphe: VOT. DEC. ANN. SUSC. *Vota decennialia suscepta.* VOT. QQ. vel V. *Votis quinquennialibus.* V. P. *Vota populi.* V. PR. RE. CÆS. *Votum pro reditu Cæsaris.* XIII. Denique notandi veniunt diversi honorum tituli, quibus se ipsos honorarunt aliqui Imperatorum pro diversitate temporis: I. A. *Imperator Augustus* I. C. *Imperator Cæsar,* vel *Julius Cæsar.* DIC. PERP. *Dictator Perpetuus.* PP. *Pater Patriæ.* P. M. *Pontifex Maximus.* CEN. *Censor.* CENS. PP. *Censor perpetuus.* AUG. *Augur.* COS. *Consul.* COS. DES. *Consul designatus.* PRINC. I. vel JUVENT. *Princeps Juventutis.* &c. item tituli Augustarum. GENET. ORBIS. *Genetrix orbis.* MATER AUG. MAT. SEN. M. PAT. *Mater Augustorum, Mater senatus, Mater patriæ.*

XXV.

Consideranda modo veniunt post Inscriptiones Instrumenta varia, quibus veteres numismatum partem averſam inſignivere. Præcipua horum cum ſua ſignificandi virtute ſymbolica, ut facilius inveniri poſſint, ordine alphabetico exhibeo. *Botrus* notat abundantiam vini & lætitiæ. *Caduceus* ſeu baculus alis & ſerpentibus binis inſtructus Mercurio adſignatur, immo & reliquis Diis ac ſemideis ad ſignificandum bonum regimen pacem, ac felicitatem. *Calathus* ſorum & frugum, ubertatis ſignum. *Clypei*, qui votivi nuncupantur, indicant vota pro incolumitate Principum aut ſenatus facta: ita in numis Antonini Pii cum inſcriptione ANCILIA. *Cornua copię* tenent Dearum figuræ, Genii, Heroes in ſignum felicitatis, abundantię, & divitiarum. *Currus* ab equis, leonibus, elephantis tractus denotat triumphum, vel Apotheoſin Principum. *Fulmen* in manu eſt ſignum dominantis vel irati Jovis. *Gubernaculum* ſupra globum adjectis faſcibus monſtrat ſupremam poteſtatem. *Hæſta* ſine ſpiculo ferreo, ſeu potius ſceptri formam referens, eſt potentię ſignum, omnibus Diis commune. *Laurus* in manu Imperatoris ſymbolum eſt triumphii.

Lyra una vel gemina indicat regiones Apollini, vel Musis sacras. *Duæ manus* sibi cohærentes fœdera inter personas publicas, vel concordiam inter privatas. *Modius*, e quo aristæ ac lunæ capita prominent, abundantiam frumenti; *Navigii* incurvati ornamentum victoriam navalem, aut superatam urbem maritimam: Si navigium plenis invehatur velis, notat gaudium, felicitatem, & prosperitatem in bene cœptis: si ad pedes jaceat, signum est urbis, portu & mercimoniis inclytæ. *Olea* est pacis nuncia. *Palmi* munitionem castrorum adversus hostem repræsentant, quemadmodum in numis Licinii spectantur. *Pertica* superius nonnihil curva seu *Lituo* Augures discernuntur: sæpe adduntur pulli gallinacei, vel aves volantes. *Pbiala* seu patina, qua in sacrificiis utebantur Veteres, quæque omnibus Diis, subin etiam Cæsaribus & principibus in manus datur, aut adponitur Imperatoribus in signum Pontificiæ dignitatis, *Porta civitatis* vel turris, quæ præcipue post Constantini tempora comparet cum inscriptione, PROVID. AVG. seu *providentia Augusti*, ostendit, quod populo subventum fuerit in caritate annuæ. *Rota* in numis occurrit ob reparatas vias: Si jacet ad pedes fortunæ, symbolum

lum est instabilitatis: si ad pedes Nemesis, vindictæ erga malefactores. *Sceptrum*, quod ex utraque parte rotundum, dictum parazonium, in Imperatorum numismatibus effulget, ab aliquibus pro pugione, ab aliis pro virga regiminis indice habetur. *Sella curulis* est insigne Magistratus seu *Ædilium*, seu *Prætorum*, seu *Consulum*. *E signis militaribus*, quorum non raro quatuor stant erecta, cognoscuntur vel victoriæ relatæ, vel certæ legiones, quæ jurarunt Cæsari, vel *Coloniæ* fundatæ, vel vexilla hostibus erepta. *Tripus* una cum graculo & delphino characteristicæ est *XV-Virorum*, qui custodes *Sibillinorum* oraculorum fuerunt, & quorum consilia in publicis necessitatibus exquirebantur, cum inscriptione *XV-VIR. SAC. FAC. quindecimvir sacris faciundis*. *Urnæ* cum lauro aut serpo, una cum simpulo (vas erat sacris faciendis destinatum) annunciant publicos ludos, ubi multa fiebant sacrificia. Non raro *Pantheon* se spectandum præbet, uti in numis Antonini Pii, & *Faustinae*: adsunt ibi mensura, medimnus dicta, quæ *Serapidem*: radii coronæ, qui *solem*: cornua, quæ *Jovem Hammonem*: longa barba, quæ *Plutonem*: tridens, qui *Neptunum*: serpentes brachium circumdantes, qui *Æsculapium* denotant.

Jam de animalibus, quorum varia genera in numis, eorumque parte averſa cernuntur. Adhibentur autem vel tanquam ſymbola pacis, fortitudinis, providentiæ &c. vel tanquam ſigna coloniæ & urbium. *Bos* vel *taurus* denotat patientiam & fortitudinem: aliquando ſacrificium, ſi florum fertis ornatus comparet: item pacem agricolis datam. Quodſi autem a Sacerdote velato ducantur boves, ſignum ſunt coloniæ. *Canis* ore aperto, item *concha* indicat Urbem Tyrum, eo quod purpura ibidem confeſta ſit, & canem Herculis, qui concham ejusmodi aperuit, ore aperto ac rubro reverſum fuiſſe fabulæ narrent. *Capricornus* ſignum eſt nativitatſ Auguſti. Nem ex hoc cœleſti ſidere, ſub quo natus eſt, Apolloniſus Aſtologus Auguſto prædixit Imperium. *Cervus* utpote animal Dianæ Sacrum Epheſinæ urbi adponitur. *Delphinus* inflexus cum tridente Neptuni argumentum eſt liberi commercii & poteſtatis ſupra mare. *Equus* in Punicis numis ſymbolum eſt urbis Carthaginenſis: Unus vel duo equi in paſcuſ ambulantes notant pacem & ſecuritatem; vel etiam regionem, ubi abundat pabulum. *Elephas* ob vitam longævam portendit æternitatem: etiam ad publi-

blicos ludos significandos adhibetur. *Gal-
lus gallinaceus* Deo Luno aut Mercurio
adfociatur. *Pisces*, Pelamides dicti, ad-
tribuuntur Constantinopoli, circa quam
frequentes capiuntur. *Pavo & Aquila*
Principis inter Deos relati emblemata est:
famulatur etiam Junoni. *Pegaso* Corin-
thus gaudet, quem ibi Minerva Bellerophonti
dedit, cum Chimæra certaturo. *Phoenix*
symbolum æternitatis est, aut
temporum meliorum: *Sphynx* prudenti-
æ: nonnunquam est insigne urbis Gaba-
læ in Cælesyria: *Serpens* vero Æsculapii,
salutis, & Hygeæ. Quodsi occurrunt
ignota animalia cum inscriptione. MUN-
AUG. seu *munificentia Augusti*, vel SEC-
AUG. ludi *seculares Augusti*, signum est,
quod Princeps ille, qui hanc monetam
cudi iussit, ejusmodi animalia longe aspor-
tari, & in ludis, maxime secularibus, ex-
poni iusserit.

XXVII.

Ab animalibus ad figuras transeo, per
quas intelligi velim Provincias & Regio-
nes orbis, quæ sub habitu Geniorum vel
semi-dearum in numismatibus frequentis-
sime conspiciendas se offerunt: discernen-
das autem per adposita quædam symbola,
præcipue animalium aliarumque rerum,
BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VI. H qua-

quarum vel magna in illis copia reperitur, vel quæ singulares sunt, & regionibus iis propriæ. Itaque *Africa* sibi vendicat elephantis caput, scorpionem, serpentem, vel leonem, quæ animantia in illa orbis parte præ cæteris natales suos habent. *Amazonum* regio fæminas refert pilis oblongis armatas, & scuto, quod peltam vocant. *Arabiam* camelus, uti & balsamum ac thus prodit. *Armenia* singulare habet tegimen instar mitræ, cum arcu & telo. *Ægyptus* sistrum, ciconiam aut crocodilum. *Asia* serpentem aut gubernaculum navis, quia Roma non nisi navigiis eo perveniri potest. *Magna Britannia* clavum, cui inicitur; aliquando etiam proram navigii jacentem ad pedes. *Cappadocia* coronam e turribus, & signum equestre, quoniam Romani equitatum suum inde instruxerunt: plerumque additur mons Argæus. *Dacia*, sceminæ speciem præferens hastam & caput asinum, quum Daci asinis equorum loco utantur. *Europa* propria effigie caret. Nam numi, qui repræsentant Europam tauro insidentem, raptam scilicet a Jove, Sidone duntaxat cusi fuerunt. *Gallia* militarem habitum gerit cum hasta, Virgilio *Gæsum* dicta. *Germania* ut fæmina procera comparet, cum hasta & scuto lon-

longiore, sed minus lato, quam quo Romani utebantur. *Hispania* cuniculum penes se habet propter abundantiam horum animalium, unde Hispania Catullo *cuniculosa* dicitur. *Italia* sedet ut regina orbis super globum cum sceptro & cornucopiæ: caput corona turrata circumdat ob celebres urbes. *Judæa* militari veste induta cum palma in manu, quum sit pars Phœnicix, cujus signum palma est. *Macedonia* adparet ut auriga cum scutica propter equorum præstantiam, vel propter solem, quem ut Deum colunt: Hercules quoque se exhibet, a quo genitos credunt Reges suos. *Mauritania* equum medio in cursu constitutum monstrat ob velocitatem equorum ea in regione. *Mesopotamia* inter duos fluvios Tigrim & Euphratem medium occupat locum cum mitra fulgente. *Pannonia* duplicem repræsentat scæminea in forma personam, pellibus ferarum indutam ad frigus arcendum, & in manibus gestantem arma, tanquam fortitudinis signa. *Particum regnum* muliebri patrioque vestitu, arcu & telo obarmatum. *Sicilia* trium ossium figuram refert ob tria promontoria: Subin etiam cum falce & aliquot aristis ob abundantiam frugum conspiciendam se præbet.

XXVIII.

Denique & de Coloniis agendum superest. Est autem Colonia locus, ad quem ex Urbe vel regione aliqua mittuntur, qui eum inhabitent, agros & prata colant, ac prole fecundum reddant; unde nata paræmia: *deducere colonias*, fuitque res hæc inter præcipuas Romanorum artes politicas, quibus fines suos imperiumque dilatabant, nimirum in remotissimas etiam plagas deducendo colonias. Ita etiamnum hodiè exstat & vocatur *Colonia Agrippina*, seu colonia ad Rhenum, *Colonia Allobrogum* seu Geneva, *Colonia Munatiana Rauracorum* seu Basilea, *Colonia Decumanorum* seu Narbo in Gallia, *Colonia Trevirorum* seu Trevis. *Colonia Bracara* seu Braga in Lusitania &c. Ut autem diversæ Coloniæ in numismatibus rite dignoscantur. 1. Commune signum est coloniarum, si ex parte aversa bos, vel taurus unus, aut duo præter colonum sacrificulum, qui aratrum ducit, vel signa militaria compareant. Nam primos urbis condendæ limites aratro, bove ac vacca juncto, definierunt teste Isidoro (h). Si solum aratrum adsit, indicium est, quod plebs in aliam regionem fuerit immissa: si signa militaria stant erecta, colo-

(h) *Lib. 15. Origin.*

colonia originem suam ducit a militibus veteranis: *Multis legionibus* inquit Hyginus, *contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primo tyrocinii gradu pervenire. Nam cum signis & aquilis, & primis ordinibus ac tribunis deducebantur.* Quodsi utraque signa, & aratrum & militaria conjunguntur, milites simul ac Cives illuc migrasse colligitur. 2. e diversitate signorum intelligitur etiam diversitas militum num pedites vel equites eo missi fuerint. 3. Coloniae nomina sua nanciscuntur ab iis, a quibus conditæ fuerunt, vel amplificatæ: omnes a Julio Cæsare erectæ vocantur *Julia*, uti *Julia Colonia Beritus*: quæ ab Augusto Imp. *Augustæ*, ut municipium *Augusta Bilbilis*. Quando nomen *Juliae* & *Augustæ* simul concurrunt, ita ut absque intervallo se sequantur, signum est, Coloniam a Julio Cæsare quidem inchoatam, ab Augusto autem perfectam vel restitutam fuisse, uti *Colonia Julia Augusta, Dertosa*. 4. discrimen inter Romanas & Latinas Colonias in numismatibus hac ratione patet: Jus civitatis Romanæ in eo positum erat, quod Coloni ad dignitatem Magistratus pertingere possent, omnibusque juribus Civium Romanorum gauderent: jus autem Latinitatis

quo tota Italia fruebatur, consistebat in privilegio, quo Coloni ab oneribus publicis immunes erant, ac libertatem adgregandi se legionibus Romanis obtinuerunt. Jam vero Coloniae, quibus jus Civitatis obtigit, in numis suis signarunt Romulum & Remum cum lupa, qua effigie uti non poterant, quæ solum jus Latinitatis habebant. 5. quam late per tres orbis plagas fines suos propagarit Romana gens, ex Italiae angulo seu Latio primitus egressa, facile e numis Coloniæ adparet. Paucos duntaxat eorum recensere juvat: COL. A. A. PATR. seu Colonia Augusta Aroe Patrensis, *Patrasso*. COL. ÆL. COMM. Colonia Ælia Commodiana, *Jerusalem*. COL. Æ. A. HA. MET. Colonia Ælia Augusta Hadrumetina, Metropolis *Africae*. COL. ALEX. TR. Colonia Alexandrina Troas: *Troja instaurata*. COL. AMAS. Colonia Amastrianorum *Papblagoniae*. COL. ANT. Colonia Antiochena *Pisidiae*. COL. ARELAT. SEXTAN. Colonia Arelata Sextanorum, *Galliae Arles*. COL. AST. AUG. Colonia Astigitana Augusta *Hispaniae*, *Eceja*. COL. AVG. JUL. PHILIP. Colonia Augusta Julia Philippenfis, *Tbraciae*. COL. AUR. P. M. SIDON. Colonia Aurelia Pia Metropolis

Sidon, *Syria*. COL. CÆS. AUG. Colonia Cæsarea Augusta, *Palestina*. COL. CAMALODUN. Colonia Camalodunum, *Anglia*. COL. CL. PTOL. Colonia Claudia Ptolemais, *Phœnicia*. COL. COR. Colonia Corinthus. COL. GEM. ACCI. LEG. VI. Colonia Gemella Accitana Legio Sexta, *Guadix in Granata*. COL. HA. MET. Colonia Hadriana Mercurialis Thænitana, *una ex insulis Cycladum*. COL. VIC. JUL. LEP. Colonia victrix Julia Leptis, *Africa Lebida*. COL. ULP. TRA. Colonia Ulpia Trajana, *Transsylvania Varhel*. COL. VIM. I. Colonia Viminacium Anno primo, *Widin in Servia &c.*



CAPUT VI.

COGNITIO RERUM E NUMISMATIBUS.

§. I.

Cognitio Familiarum Romanarum.

XXIX.

Non solum cognitio numismatum, de qua præcedente Capite tractavimus, verum etiam, & vel maxime, cognitio rerum, quæ e numismatibus

rite inspectis discuntur, eruditionis studioso homine dignissima est, id quod præsentis capitis argumentum esto. Ut autem ordine cuncta fiant, initium a Familiis seu gentibus duco. Triplex erat nomen, quo Romana Nobilitas gaudebat: primum *Prænomen*, alterum ipsum *Nomen*, tertium *Cognomen*. Cur autem Romani plura nomina adsumpserint, Auctores non satis inter se conveniunt. Quidam; uti Varro (i) existimat, ante Romam conditam in Italia gentem hanc uno duntaxat nomine contentam fuisse, quemadmodum *Romulus*, *Remus*, *Faustulus* dicebatur; postmodum vero multiplicatis familiis ad earum capita discernenda multiplicata quoque fuisse nomina, præposito aliquo alio nomine, quod inde prænomen dixere. Ita idem Varro (k) ait: quum duo essent Terentii aut plures, discernendi causa, ut aliquid singulare haberent, notabant forsitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is *Manius Terentius* esset, qui luci, *Lucius Terentius*, qui post patris mortem, *Posthumus Terentius*. Alii autem, a Romulo in gratiam Sabinorum, quorum filias vi illata Romanæ publi desponsavit, hoc esse

(i) Apud Valer. Max. in Epitome. (k) Lib. de latina lingua.

factum, ita ut suis Sabinorum nomina, aut contra quæ suorum erant, Sabinorum nominibus præponeret. Alii vero, qui secus sentiunt, hunc morem ab aliis populis mutuatos fuisse Romanos scribunt, præsertim quum ipsi ante Romam conditam matrem Romuli legerent *Rheam Sylviam*, aut *Numitorem Silvium*, fratrem ejus *Anulium Silvium*, posterioresque duces *Metium Suffetium*, *Titum Tatium*, *Numam Pompilium*, patremque ejus *Pomponium Pompilium* nominatos. Jam vero Prænomen nomini Familiæ præponebatur, ut ex eo Fratres, Cognati, atque Affines inter se discerni possent, habebatque simile aliquid cum ævi nostri prænominibus in baptismatis lavacro susceptis v. g. Petrus, Paulus, Joannes, Franciscus, Josephus &c. Hoc indebatur apud Romanos post sumtam togam virilem, erantque ejusmodi prænomina fere sequentia: AVLVS, seu qui Diis alentibus nasceretur: CAIVS, a gaudio patrum adpellatus: KAESO seu CAESO, qui ex utero matris exfectus est: CNAEVS, ob insigne nævi, qui in corporibus gignitur: AGRIPPA, qui cum labore ac nisu matris est natus: FAVSTVS a favore: APPIVS ex Sabinorum prænomine *Actius*: QVINCTVS, SEXTVS, DECIVS seu Decimus,

a numero, qui quinto, sexto, & decimo loco nascebatur: LUCIVS a Lucumoni-
bus Etruscis, vel a Lucis initio: MAMER-
CVS a Marte, quem Osci Mamercum
nuncuparunt: MARCVS a mense Martio:
PVBLIVS, qui ante adsumtum præno-
men pupillus erat, vel a pube. SERVIVS,
quem mater serva peperisset, aut qui mor-
tua matre in utero servatus est. SPV-
RIVS, qui sine patre certo erat: TIBE-
RIVS, qui ad Tiberim natus fuit: AN-
CVS, qui vitiosum cubitum haberet:
TVLLVS, ominis caussa, quasi tollen-
dus.

Ad Nomen quod attinet, illud Familiz
erat proprium atque perpetuum, quod
apud Romanos plerumque in IVS desine-
bat, ut Julius, Antonius, Livius, Por-
cius, Cornelius &c. Familiis autem Ro-
manis nomina sua obtigere *vel a Majori-
bus* sive Aboriginibus, seu Trojanis, seu
Italis. Sic Julia dicta est ab Julo Æneæ,
Æmilia ab Æmilio Juli filio. Atia Atim,
Nautia Nautem Trojanos viros sui generis
Auctores nuncupabant: Numa Rex teste
Plutarcho quatuor filios reliquit, Pompo-
nem, Calpum, Pinum & Mamercum, &
ab his Pomponia, Calpurnia, Pinaria, &
Mamercia Familia Romæ propagata fuit:
Vel ab urbibus & populis, quemadmodum
Tar-

Tarquinia a Tarquiniis, Urbe Etruriæ, Gabinia a Gabinis, Vatinia a Vatia, prisco Latinorum oppido, Volscii a Volscis &c. *Vel a quadrupedibus*, quibus omnia primorum Romanorum bona & facultates circumscribebantur, ut Familia Porcia, Ovinia, Equitia, Asinia. *Vel ab aliquo ministerio*, uti Flaminia, quod Flaminii Diali ministraret: *Vel a voce quadam*, ut Terentia a tereno, vocabulo Sabino, quod molle significat: Publicia a Publico, Popillia a popillo, Hirtia ab hirto, Salvia a salvo, quod boni ominis erat. Huic nomini Familiæ addiderunt frequentissime Romani ad discrimen faciendum Patris, Avi, quin & Proavi nomen, una dumtaxat litera expressum, ut C. IVLIVS. C. F. C. N. id est, *Caius Julius, Caji* (intellige Julii) *Filius, Caji Nepos.* L. CORNELIVS. P. F. L. N. *Lucius Cornelius, Publii Filius, Lucii Nepos.*

XXX.

Cognomen adjecerunt Romani, prænomine ac nomine non contenti: nec absque causa, nimirum ut plures ejusdem nominis & prænominis discernerentur. Hac ratione L. Tarquinius Priscum, & L. Tarquinius Superbum, inquit Dionysius, Priscum illum, quod natu major, hunc

hunc Superbum, quod contumacior esset, fuisse vocatum. Ita quoque stirps Cornelia cognominum varietate in multas familias diffusa fuit: in Scipiones, in Lentulos, in Cossos, Merulas, Cinnas, Sullas, Dolabellas. Hæc autem cognomina imponi consueverunt vel *ab actione aliqua*. Sic Metellus unus dicebatur Diadematus, quod frontis ulcus diademate aliquando obligasset: alter Celer ob ejus celeritatem in adparandis patri funebribus ludis: sic additum est cognomen Proculi, Posthumi, Vopisci a diversa nascendi conditione: sic etiam ortum cognomen Rufus, Niger, Clodius a corporis vitio. Vel *a virtute ac moribus*. Ita Nero Sabinorum lingua Srenuum significat, quod cognomen impositum fuit Tito Claudio Appio, ac postea ejus familiæ adhæsit. Marcellus Plutarcho idem est ac bellicosus seu Martius; aliis quasi Martellus seu parvus Mars: cognomine hoc gens Claudia usa est. Gurges vocatus est Q. Fabius, Rulliani filius, a devorato patrimonio: Camillus, quo cognomine gaudebat familia Furia, est puer ingenuus. Vel *a sermonis elegantia*. Ita Æmilii dicti sunt Lepidi a lepore orationis, quia Mamercus Numæ filius, princeps hujus familiæ, summo dicendi lepore præditus erat. Attici cognomentum
ade-

adeptus est Titus Pomponius, quod Attice omnium optime loqueretur. *Vel ab arte & studio aliquo.* Hinc Q. Fabius dictus est Pictor, quod primus Romæ ædem Salutis pinxerit. Cicerones, Lentuli, ut quisque optime cicer aut lentem ferebat, adpellabantur: illud Claudiorum & Tulliorum, hoc Corneliorum cognomen erat, eademque fors ratione a pisis Piso Calpurniorum. Sunt tamen, qui *Ciceronis* cognomen ortum esse scribunt a quodam Majorum, qui verruccam ciceris in modum naso eminentem habuisse fertur. *Vel ab urbe ac regione devicta*, quemadmodum Messalla Valerius dictus est a Messalla primo punico bello capta: Numantinus P. Scipio a Numantia deleta: Isauricus P. Servilius ab Isauris urbe Ciliciæ expugnata. *Vel a locis* ubi bene vel male pugnatum est, ut Germanicus Drusus dictus est, quod in Germania strenue pugnando obierit: Bithynicus Pompeius, quod ex Bithynia supellectilem Regis Nicomedis triumphans deportaverit. *Vel ab aliis eventibus.* Sic Collatinus Tarquinius dicebatur, quod diu Collatiæ Præfectus esset: Torquatus Manlius, quod torquem in pugna Nobili Gallo detraxerit: Cunctator Fabius, quod cunctando Hannibalem fregerit: Scipio Cornelius, quod patrem
lumi-

luminibus carentem scipione rexit: Cæsar Juliorum cognomen fuit, quod ab utero cæso quidam derivant: alii vero, & melius, ab Elephante cæso; lingua enim Punica Cæsar elephas dicebatur, & Carolo Sigonio teste supersunt numi argentei ab altera parte elephantem referentes cum subscriptione CAESAR. Porro ex cognominibus aliqua fuisse hæreditaria, & ad posteros longissima serie propagata, alia vero ne ad filios quidem pervenisse satis constat: primum quidem e Cicero-
 ne (1), dum loquentem inducit Africanum cum Nepote hunc in modum: *Erit id tibi cognomen per te partum, quod nunc habes ex me hæreditarium*: alterum autem ex Strabonis cognomine, quod fuit Patris Pompeii M. sed ad filium nequaquam transit. Quippe novis adscitis Familiæ cognominibus vetera esse deleta agnosci potest ex Manliana gente, cui primum cognomen fuit *Vulso*, post hoc *Capitolinus Imperiosus*, dein *Imperiosus Torquatus*, ad extremum autem solum *Torquatus* retentum est. Cætera necessitas initio cognomina excogitavit, post usus & commoditas custodivit, & propagavit. His addunt aliqui Agnomina, ita ut cognomina adpellent ea, quæ tertio loco, quæ
 vero

(1) *In Somnio.*

vero præterea adjiciuntur, ea omnia agnomina esse velint, ut *Africanus & Asiaticus*: P. CORNELIVS SCIPIO AFRICANVS. L. CORNELIVS SCIPIO ASIATICVS. Verum opinio hæc facile locupletissimi auctoris Tullii verbis refellitur, e quibus intelligitur, ea omnia cognomina dici, quæ etiam quarto loco ponuntur. Sic enim ille ait (m): *Quam laudem ille (P. Scipio) ex Africa oppressa cognomine ipso præsefererat, eandem hic (L. Scipio) sibi ex Asia cognomen assumpsit.* Quapropter ut initio dixi, totum hoc de Veterum Romanorum nominibus negotium tribus absolvitur, scilicet prænomine, nomine, ac cognomine, ut si legas: C. IVLIVS CAES. M. TVLLIVS CIC. prænomen sit Cajus & Marcus, nomen Julius & Tullius, cognomen Cæsar & Cicero. Ut autem, quod præcipuum est, familiæ aut gentis origo detegatur e numis, diligenter eorum effigies inspiciendæ sunt. Ita in numis Pomponiæ gentis caput & nomen NVMAE POMPILI adparet, ex quo colligitur, gentem hanc a Pompono Numæ filio descendere: ita rursus in Tulliæ gentis numismate SERVIVS Tullius, in Marcia ANCVS Marcus exprimuntur, quod signum est, Tulliæ Servium, Marcia

(m) *Orat. pro Murena.*

ciæ familiæ Ancum caput fuisse ac originem. Juliæ gentis moneta tum Veneris, tum Æneæ, patrem humeris impositum gestantis, imaginem exhibet, cujus Æneæ filius Julius posteris nomen dedit, atque ita Æneas Juliæ gentis auctor agnoscitur. Quodsi vero aliquis a sua in aliam adlectus est familiam, quæ res apud Romanos admodum familiaris erat deficiente prole, id ipsum intelligere datur e numis, in quibus nomen veteris familiæ, e qua adoptatus fuit, tanquam cognomen adjungebatur, mutata fere terminatione *us* in *janus*: nomen vero familiæ, in quam adoptabatur, nominis proprii loco positum fuit. Ita legitur: A. LICINIUS. NERVA. SILIANVS, id est e filia gente in Liciniam: CN. LENTVLVS. CLODIANVS, seu e Clodia in Corneliam Lentulorum adoptatus.

Ex hucusque dictis patet, quantum numismata bene cognita emolumentum adferant cognitioni Familiarum Veterum Romanarum, non solum ut legi & intelligi earum nomina possint, sed etiam ut in historia Romana perpetuo occurrentes inter se discerni queant: quin quod illas quoque Familias prodant numi, de quibus altum in historia silentium est. In unica, inquit Frœlichius, Fulvii Ursini

ni numerorum Consularium collectione Familiae Romanae, quas in scriptoribus frustra quaeras, detectae sunt Cippia, Crepussa, Durmia, Fabrinia, Sepulia &c. Alii Antiquarii familias jam pene intermonuvas in lucem historiae e prisco aere protraxerunt, ut Accoleiam, Calvisiam, Cordiam, Egnatuleiam, Meniam, Pinniam. Duo tamen adhuc circa nomina monendus est rei numariae studiosus: Primum est, ne credat priscorum seu Regum seu Consulium capita in numis expressa ipsorum horum aevi cusa fuisse: id posterius fecerunt, longo saepe intervallo sejuncti, tum ut memoriam Majorum aeternam redderent, tum ut perenne pietatis suae monumentum constituerent. Alterum, quod Praenominum, Nominum, & Cognominum ordo & series, de qua dixi, stante potissimum Republica religiose conservata fuerit: at declinante illa, & libertate Imperio cedente non pauca, quae antehac cognomina fuerunt, in praenomina migrare coeperunt. Nam Julium Antonium Africanum, Paullum Fabium Maximum, Potitum Valerium Volusum, Cossium Cornelium Lentulum imperante Augusto iis praenominibus esse praeditos, quae antea cognominis munus obierant, pridem Valerius & Priscianus animadverterunt.

§. II.

Cognitio Magistratum.

XXXI.

Plurimorum, qui Romæ olim Magistratus gessere, numismata cum suis insignibus & anaglyphis passim occurrunt tum in cimeliarchiis, tum in libris de re numaria agentibus, ut supervacaneum sit, ea pluribus explicare hoc in loco, præsertim quum multa eorum signa & symbola, quibus usi fuerunt, priore capite jam prodiderim. Satis erit igitur Magistratum nomina, quantum ad præsens negotium spectat, in lucem proferre. Primum inter hos locum obtinent Religionum Antistites & rerum Sacrarum Custodes. 1. PONT. MAX. seu *Pontifex Maximus*, dictus a posse & facere, id est, a sacrificare, ut inquit Scævola, vel uti Varro, a ponte; quia sublicius pons a Pontificibus primum est factus, & sæpe restitutus. Huic insignes alios honorum titulos adtribuebant Romani, vocantes Antistitem ceremoniarum & sacrorum, auctorem & Magistrum publicæ Religionis, Ministrum Deorum Immortalium. Erant autem majores & minores Pontifices, inter quos

supremus etiam Maximus nuncupatus est, quod maximarum rerum, quæ ad sacra & religionem pertinent, arbiter ac iudex esset, quin & vindex qua privatorum qua Magistratum sacra violantium. Munus autem hoc Pontificis Numa Rex instituit, ejusque scitis ac placitis sacra omnia privata & publica subiecit, voluitque teste Livio (n), ut idem Pontifex non cœlestes modo ceremonias, sed iusta quoque funebria, placandosque manes edoceret. Comparet, quemadmodum videre est in P. Sepullii Macri numismate, aliisque *velatus ad tripodem libans & sacra faciens*. 2. AVG. seu *Augur* erat, qui aures suas & oculos avium volatibus & cantui accommodans futura prænuñciabat, ut ait Cicero (o): *Augurque quum esset, dicere ausus est, optimis auspiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ salute reverentur*. Erant vero tria divinationum genera in avibus. Nam aliæ volatu, aliæ cantu futura prædicere credebantur: & illæ quidem Præpetes, istæ Oscines dictæ fuerunt. Erat & tertium genus divinationis ex illarum gustatu, quum pullis gallinaceis ex cavea depromtis esca porrigebatur, ut tripudium solistimum inde esset; perniciésque portenderetur,

(n) *Lib. I. ab V. C.* (o) *In Caton. Major.*

retur, si escam non caperent, aut permitterent decidere. Ita infelicem conflictum a Numantinis in Mancinum illatum prædixisse credebantur pulli, qui esca intacta ex cavea avolarunt. Augurum collegium summæ erat apud Romanos auctoritatis. Insignia Auguris a numismate Antonini Imp. aliorumque patescunt, videlicet *pullus*, *urceolus*, & *lituus*. 3. XV. VIR. SAC. FAC. seu *Quindecim Vir Sacris faciundis* præpositus, erat Magistratus apud Romanos *Quindecimviratus*, ipsam *quindecim Virorum*, e quibus componebatur, denotans dignitatem. Inicio erant *Duumviri* a Tarquinio Rege instituti: postea X. VIRI, quinque ex Patribus, & totidem e plebe: demum auctus est numerus usque ad quindecim. Hi sacris faciundis præfecti carminum Sibyllæ & factorum Romani populi, placandæque Deum iræ *Antistites* erant, qui quoties prodigia nunciarentur, adiri ac consuli solebant. Characteristica ipsorum fuit *Tripus unum sum graculo & delphino*. 4. *Flamines* erant Sacerdotes, suæque cognomina traxerunt a Deo, cui sacra faciebant, ut FLAM. DIAL. seu *Flamen Dialis*, hoc est, a Jove quasi *Jovialis*: FLAM. MART. *Martialis* a Marte, & FLAM. QVIR. a Quirino sive Romulo *Quirinâlis*. Caput ha-

habebant cinctum filo, unde Flamines dicti sunt, veluti Filamines. Eorum nota in numis fuit *acerra*, & *filum capitis*, ut in numismate Imperatoris Augusti sacrificantis adstante puero Flaminico adparet. 5. VII. VIR. EPVL. seu EPV. *Septemvir Epulorum*. Primum teste Livio (p) fuerunt Triumviri, quorum munus erat Jovi cæterisque Diis epulas instruere: *Romæ, inquit, eo anno primum Triumviri Epulones facti: hi epulas Jovi cæterisque Diis instituendi potestatem habebant.* Et Cicero (q) *Patres conscripti, vosque Pontifices, ad quos Epulones Jovis Opt. Max. si quid est prætermisum, aut commissum, afferunt &c.* Excrevit postmodum numerus Epulorum ad septemviros, uti ex numis patet, in quibus stant *ad auream Jovis mensam, statuæ adpositam, veluti Ministri*. Hæc de sacris Magistratibus.

XXXII.

Pergamus ad profanos. Primum inter Reipublicæ Rectores locum occupat I. COS.-COS. DES.-COS. III. vel TER. id est *Consul: Consul Designatus: Consul ter-*

(p) *Lib. 3. belli Maced.* (q) *De Arusp. Resp.*

tertium. COSS. *Consules.* Hi a consulendo patriæ sic nuncupati, ac post Reges exactos constituti fuerunt, & quidem bini, ut alter alterius potestatem, si limites transgrederetur, temperare nosset. Propterea etiam unus duntaxat annus huic Magistratui permissus erat, quo tolerabilior esset ob temporis angustias. Potestas eorum primo regia non multum inferior fuit; sed postea Tribunorum intercessione circumscripta est, ab Imperatoribus denique penitus suppressa. Res majestatis plena, intueri Consulem foras prodeuntem. Nam ipse Trabea indutus incescit, seu ampla toga, propriis aut Majorum præclare gestis monumentis late ornata: manu scipionem ex ebore gestabat, cujus fastigio Aquila insedit. Hac & illac duodecim lictores præferebant Consuli totidem fasces, qui oblongis aliquot bacillis, quos ulmus vel betula subministrabat, loro colligatis constabant, prominente securi. His fascibus lictores populum e via submovebant, fores vero illorum, ad quos intrare Consul vellet, virga feriebat. Valerius Poplicola secures demisit, quamdiu intra Urbem ingrediebatur, ne populo plus quam decet terribilis videretur Consulum potestas. Atque *fasces isti cum securi stantes erecti* in numismatibus insigne erant

erant consularis potestatis: in numo Q. CAEDICII. EX S. C. duo Consules manus invicem porrigentes, pone adstante securi visuntur. 2. CEN. vel CENS. aut CENS. PP. sive *Censor*, & *Censor Perpetuus*. Primum duo creati sunt Censores anno V. C. 311. hi recensabant non solum capita civium & facultates, sed maxime etiam mores, illosque si pravorum in aliquibus deprehenderunt, *Nota* id est ignominia affecere. De horum potestate ita loquitur Plutarchus (r): *Censura maximæ omnium Magistratum reverentiæ, plurimæ potestatis tum in aliis rebus, tum maxime ad morum emendationem.* Nam Senatores a Senatu remove potestatem Censor, equitibus equos adimere, ex plebeis ærarios facere, notare infamia, censum agere, lustrum condere. Quinque annorum spatio seu lustro eorum potestas concludebatur: aliqui tamen perpetui fuerunt nuncupati. In numis cum adducto ante tribunal equo conspiciuntur, qua re credo significare volebant, Censoris esse, libertatem morum in iudicium vocare. 3. PR. sive *Prætor*. Primus Prætor, ut Livius scribit (s), ex Patribus, qui jus in Urbe diceret, creatus

(r) *In Æmilio.* (s) *Libr. 5.*

tus est, penes quem Magistratum omnis publici privatique juris potestas, ut & novum condere, & vetus abrogare fas ei esset: idque ob Magistratus honorem *Jus honorarium* appellatum est: erantque illi regia insignia, ut adparatu Consulibus pene par videretur. Creati autem fuerunt, quando Consules bellis finitimis ex urbe avocabantur, nec erat, qui in civitate jus diceret. Fuit primus Prætor Urbanus Furius Camillus: hoc autem non sufficiente, quum multi peregrini in civitatem venirent, alius quoque Prætor Peregrinus est Constitutus, qui his jus diceret. Denique multis provinciis bello subjugatis, aut in fidem receptis tot fere Prætores, quot provinciæ numerabantur. Cætera Prætor adpellabatur omnis Magistratus, cui pareret exercitus. Unde Imperatores Prætores quandoque vocantur, quemadmodum auctor ad Herennium *Epaminondas* inquit *Thebanorum Imperator ei, qui sibi ex lege successerat Prætor, exercitum non tradidit.* Signa numismatum Prætorianorum eadem vix non sunt, quæ Consulium. 4. AED. seu *Ædilis*. AED. CVR. *Ædilis Curulis.* Dicti sunt Ædiles ab eo, quod ædeis sacras & profanas curarent. Primo ex plebe duo creati sunt an. V.C.

271. dein procedente tempore duo ex Patritiis an. V. C. 388. adjuncti fuerunt, qui a folio eburneo, quod iis datum est, Curules nuncupabantur. Officium horum erat, ludos publicos exhibere, & sacrarum privatarumque ædium curam suscipere, ut auctor est Varro (t): præterea totam urbem tueri a sordibus, ut cloacæ & aquæ ductus, & quæcunque publica ædificia munda & integra essent: atque loca in theatro adsignare. Erant & alii Ædiles, qui frumento præerant, a Cæsare creati, & a Cerere Cereales nominati teste Pomponio. His cura rerum, ne qua fraus fieret, & mensurarum commissa est. In numo T. QVINCTII FLAMINEI, cernuntur duo Ædiles *sedentes in duabus sellis eburneis, geminis aristis ex utroque latere in altum surgentibus.* 5. Q vel QVAES. seu *Quæstor.* Q. P. R. *Quæstor Provinciæ.* Est autem Quæstor præpositus pecuniæ publicæ, qui curam ærarii habet. Officium eorum primum belli causa inventum est. Mittebantur enim Quæstores cum Consulibus & Prætoribus in militiam ad administrandam rem pecuniariam, & prædam ac manubias in rationes refer-

(t) L. 4. de ling. lat.

ferendas. Quæstores Urbani, ait Budæus, ærarium curabant, ejusque pecunias tam expensas quam acceptas referre in tabulas publicas consueverant. Symboli loco in ipsorum numis erat *Templum Saturni*, in quo pecunia adservabatur, quodque *Ærarium* nominatum fuit. 6. III. VIR. *Triumvir*. Magistratum hunc tenere tres Collegæ, qui fuerunt triplicis generis: Capitales, Mensarii, Nocturni. Triumviri Capitales, ut memorat Pomponius (u), constituti sunt, qui carceris custodiam haberent; & quum in fontes animadverti oporteret, interventu eorum id fiebat: Mensarii Numulariis, & monetæ omnis generis & formæ cuforibus præerant: Nocturni, qui evertendis vel restringendis incendiis intenti esse debebant. Hinc apud Tacitum legitur, Triumviros nocturnos, quod ad incendium in sacra via ortum tarde venerant, a Tribuno Plebis die dicta damnatos fuisse. In C. MARII numo adparent *tria capita*, quorum medio *corona ex lauro* imposita est, cum inscriptione III. VIRI. Erant etiam Triumviri extra ordinem creati, si Reipublicæ turbandæ periculum imminebat, qui vocabantur R. P. C. Triumviri *Reipublicæ*
Con-

(u) *De Orig. Jur. in L. necessarium.*

Constituendæ. Exstat numus Cæsaris Octavianî, in quo Triumviri ad tripodem stant, cui orbis impositus est adcumbente concordia, cum inscriptione: SALUS GENERIS HUMANI. 7. DICT. *Dictator.* DICT. PERP. *Dictator perpetuus.* Primus creatus est an. V. C. 255. cui periculossimo Reipublicæ tempore, quum intus seditio, foris hostis immineret, summa potestas permittebatur, quam Dictaturam vocabant. Constituebatur autem viva voce, non per suffragia. Ne tamen abuteretur imperio, uno tantum semestri hoc gerere licuit. Præterea jus habuit animadvertendi in cujusvis civis Romani caput, nec ab eo provocare fas erat. Aliquando prorogatus est hic Magistratus in annum integrum. Sylla autem & Cæsar perpetui Dictatores creati sunt, id quod exitium Reipublicæ peperit. In Cæsaris numismate cernitur *trophæum erectum*, cui *victoria laurum imponit*, jacente ad pedem *furore*, stipiti alligato, cum inscriptione: CÆSAR. DIC. ITER. 8. IM. vel IMP. *Imperator*, vel I. IT. *Imperator iterum*, aut IMP. CÆS. AUG. COMM. CONS. *Imperator Cæsar Augustus Communi consensu.* Olim Dux erat exercitus, & per Antithesin Miles, utpote belli indicendi gerendique
aut

aut foederis feriendi gratia delectus, reque bene gesta, & aliquot millibus externorum hostium prostratis consequebatur, ut primum a senatu, deinde ab exercitu honoris causa Imperator proclamaretur, quæ designatio etiam iterum ac sæpius repetita fuit, ut tradit Plinius (x) enumerans Pompeii laudes, subjungensque hæc verba: *Toties Imperator, antequam Miles.* Postea tamen illud tanquam proprium nomen sibi vendicarunt Cæsares. In horum numis, præcipue Julii Cæsaris, parte adversa adparet insigne, vel *lituus*, quia simul Pontificis Max. titulum gerebat, vel *stella supra caput*, aut circa frontem, aut a tergo in signum apotheosis, quam fere omnes consecuti sunt a superstitione populi & adulatione senatus.

Erant & alii Magistratus minores Romæ, quos omnes enumerare nimis prolixum foret, & facile ex numis, atque adversæ illorum partis inscriptionibus cognosci possunt, uti sunt: QUATUOR VIR - CURATOR DENARIORUM FLANDORUM - TRIUMVIR REIPUBLICÆ CONSTITUENDÆ - AFRUMENTUM EMUNDUM - PROPÆTOR - PROCONSUL - PROQUÆSTOR - TRIBU-

(x) *Lib. 7. c. 26.*

BUNUS MILITUM-PRÆFECTUS
CLASSIS ET ORÆ MARITIMÆ &c.

§. III.

*Cognitio Prærogativarum & Titu-
lorum Imperialium.*

XXXIII.

Ubi Republica Romana inclinante, vel
verius suppressa, rerum potestas su-
prema, quam Jus Regium dicebant, ad
Imperatores delata est, aut potius rediit,
non modo numismata quamplurima ab
his, vel in horum honorem ab aliis cusa
prodierunt, verum etiam multis horum
titulis tanquam prærogativis fuerunt ex-
ornata, quos titulos, quum antehac
Magistratum singularium proprii essent,
Imperatores tunc sibi communes fecere,
eosque cumulativè in se transferebant. At-
que hoc est, quod ex omnium fere Im-
peratorum numismatibus luculenter co-
gnoscimus. *Primo* quidem, ut dixi paul-
lo ante, Imperatoris titulum, qui prius
Belliducibus solum conferabatur quivis
post Octavium Augustum in Imperio suc-
cessor sibi arrogavit, nec alteri amplius
cessit, sed prænominis loco adhibuit IMP.
CÆSAR. AUG. omisissis vocibus ITER.

aut

aut TERT. utpote quæ cum supremæ hujus dignitatis perpetuitate, quam sibi vendicabant, non bene convenirent. Quare sæpius addiderunt in numis literam P. id est, *Perpetuus*: quandoque tamen etiam cognominis locum obtinet, quemadmodum in numismate Augusti: IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS. IMP. XV. ad significandum, quoties Augustus ille post victorias de hostibus relatas a Militibus Imperator acclamatus & salutatus fuerit. *Secundo* Cæsaris nomen, quod vetus Juliæ gentis cognomen erat, a Julio Cæsare adoptarunt sibi omnes deinceps Imperatores: IMP. CÆS. Hoc equidem etiam gerunt Imperatorum Filii, Nepotes, Adoptati, & Collegæ, sed postpositum aliis suis nominibus, ut GERMANICUS. CÆSAR. qui erat Tiberii Augusti ex fratre Druso Nepos, & a Tiberio adoptatus: L. ÆLIUS. VERUS. CÆSAR. a Marco Aurelio Vero Antonino in Collegam assumptus. *Tertio* AUG. *Augustus* honoris titulus est, quo Senatus Octavium decoravit. Nam ut ut omnibus modis singulare regimen seu Monarchiam detestaretur, Octavii tamen potentia post Julium Cæs. occisum, & Antonium in pugna navali profligatum se imparem sentiens summos Victori reduci honores decrevit, non tamen

men *Regum* (quum nomine hoc populo Romano nihil infestius haberetur) sed *Imperatoris* adjecto honoris vocabulo *Augusti*, quod idem erat ac *Faustus & Auspicatus*. Hoc ipsum postea in omnes Imperatores est propagatum. *Quarto*, idem fere contigit titulo *PATER PATRIÆ*, quo etiam Ciceronem, postquam *Catilinæ* sævam conjurationem primus detexit, eumque e civitate ejecit, ob patriam servatam ornavit senatus, qua de re ipse *Tullius* magnifice gloriatur: *Octavio* tamen proprium esse voluit, a quo ad reliquos quoque Imperatores transit. Tradunt *Tiberium & Neronem* initio titulum hunc recusasse: sed ex numis adparet, quod postea eum admiserint. *Quinto* *P. M.* Pontificis Maximi quoque adpellationem sibi adsciverunt *Cæsares*, quum non minus Imperatores, quam Religiosi Principes haberi vellent, simulque jus in sacra æque ac profana sibi arrogarent. Sed *Constantinus M.* reliquique *Cæsares Christiani* eo sibi ipsis interdixere, non nisi unum summum Pontificem seu Christi in terris Vicarium agnoscentes, cui soli supremum jus in sacra competeret.

Allatis hucusque honorum titulis omnes vel certe plerique Imperatorum in numis splendide usi sunt. Verum præter hos
alii

alii quoque supersunt, ab aliquibus duntaxat adhibiti. Sic in Augustorum ære primum Antoninus PIUS adpellatur: Commodus a Senatu FELIX nominatus est: post Antoninum tamen & Commodum Pii ac Felicis cognomen frequenter in reliquis occurrit. AUGUR in Antonii & Julii Cæsaris, vix tamen in Augustorum numismatibus latinis deprehenditur, præterquam Vespasiani, & in græcis Titi ac Domitiani. CENSOR in ære Vespasiani, ejusque filiorum Titi & Domitiani legitur. COS. & TRIB. POT. Consulis & Tribuni titulum, quamvis sæpe usurparint Imperatores, non tamen continuo Magistratum hunc gessere, nec in numis nisi per intervalla notatur. PRO-COS. Proconsulis nomen non ante Domitianum reperitur expressum. D. N. *Dominus Noster*: hanc adpellationem circa Diocletiani tempora invaluisse produnt vetera numismata Legitur quoque in aliquibus: VICT. D. D. N. N. *victoriæ Dominorum nostrorum*, videlicet Getæ & Antonini Caracallæ. DEI titulum cum illo *Domini* conjunctum sub Aureliano & Caro Imp. adulatio numis inseruit: DEO. ET. DOMINO. NATO. AURELIANO. DEO. ET. DOMIMO. CARO. Denique a devictis gentibus aliqui Cæsarum cognomina sibi

adoptarunt, ut GERM. *Germanicus*. BRIT. *Britannicus*. SARM. *Sarmaticus*. DAC. *Dacicus*. PERS. *Persicus*. GOTH. *Gothicus*, nonnunquam adjecto nomine MAX. ut PARTH. MAX. Aliquando etiam hi tituli multiplices adparent, ut in numo Cæsarum: IMP. C. C. VA. F. GAL. VEND. VOLUSIANO. AUG. *Imperatori Cæsari Cajo, Vandalico, Finnico, Galendico, Vendenico, Volusiano Augusto*. Peculiare quid habet titulus PRINC. JUVENT. id est, *Princeps Juventutis*. Hic inter præcipua Nobilis Romanæ juventutis decora numerabatur. Nam inter alios ludos, qui Romæ celebrati fuerunt, erat e primis unus, qui ut fertur ipsum Æneam Auctorem habuit, & quidem Equestris, ac *Ludus Trojæ* nuncupatus: ad hunc nonnisi flos nobilissimæ juventutis admittebatur, cui qui præerat, *Princeps Juventutis* dictus fuit. Postmodum vero Augusti Filios & Nepotes suos hoc titulo ornabant, ut manifestant numi Neronis & Drusi, Titi Domitiani, Getæ & aliorum. Repræsentantur hi Principes Juventutis *equo sublimes*, aliquando etiam *inter signa militaria stantes*, uti Commodus, Philippus, Valerianus.

§. IV.

*Cognitio rerum præclare gestarum
ac virtutum.*

XXXIV.

Magnum rei momentum tum Romani tum Græci Veteres posuerunt in eo, ut Majorum, Regum, Imperatorum, aliorumque Heroum, ac Illustrium Personarum, de Republica bene meritaram effigies in numismatibus qua æreis, qua argenteis, qua aureis, eorumque parte *adversa* quam elegantissime ac vere magnifice exprimerent, hacque arte æternitati transcriberent: majorem tamen adhuc curam habuisse videntur, ut in parte *aversa* res præclare gestas & virtutes exquisitis & ingeniosis signis, symbolis, figuris, emblematis ac inscriptionibus exornarent, exornatasque posteritati ad imitandum proponerent. Ex infinitis pauca produco exempla: Principum in patriam, vel parentes *Pietatem* exhibebat Æneæ Anchisen patrem e Troja conflagrante exportantis figura, aut ipsius Pietatis hasta pura armatæ ac laurum porrigentis simulacrum, cum inscriptione P. A. Pietas Augusti. *Concordiam* Augustorum cum senatu, cum exercitu, cum finitimis populis ut exprimerent, ipsorum Augustorum simulacra M. Aurelii, L. Veri &c.

&c. cum Jove, vel Marte, vel Senatu Romano dexteram jungentes, aut duas dextras in aere invicem conjunctas inter signa militaria, & laureo sermo circumdatas numis incidebant cum epigraphe CONC. AVG. Concordia Augusti: CONC. EXER. concordia exercitus: CONC. F. AET. concordia felix, æterna. *Pacis studium* in Principe, Rege vel Senatu repræsentabat Pacis figura, oleæ ramum præferens cum cornucopiæ, vel facem ad bellica signa cremanda expediens, cum inscriptione PAX. PVB. Pax Publica: PAX. AET. PACI. ORB. PERP. AC AET. Paci orbis perpetuæ ac æternæ. *Victoriam* insignem Julii Cæsaris DICT. III. COS. III. de Gallis & Germanis monstrabat trophæum inter clypeos erectum, ad cujus pedem una parte sedet Germania mœsta demisso vultu, altera captivus Gallus torquens oculos feroces ad trophæum, cum inscriptione CAESAR. M. Lepidus *Aegypto capta* regnum Ptolemæo conferens exhibetur in numo, coronam imponens Ptolemæo, qui sceptrum cum insidente Aquila gestat, cum epigraphe: TVTOR. REGIS. M. LEPIDVS. PONT. MAX. S. C. Ad *moderationem & clementiam* commendandam parvula virtutum harum Sigilla, diversis exornata in-

signibus, & multo fertorum decore cincta in numis comparebant. *Fortitudinem* Imperatorum ut oculis exhiberent, Honoris & Virtutis tanquam individuarum Comitum gemina simulacra statuerunt: Honos cornucopiæ gestat sinistra, dextra hastam puram, id est, sine pilo seu cuspede: Virtus autem galea & sago more militari recta manu dextera fert parazonium, hastam læva. L. Marciæ Philippi *ob beneficium aquæ* Marciaë introductæ effigiem sublimem supra arcus invicem junctos videre fuit cum inscriptione literarum inter singulos arcus prominentium A Q V A M. seu Aqua Marcia. M. Claudii Marcelli statuam post *victoriam de siculis reportatam* repræsentabant ferentem optima spolia in Templum Jovis Feretrii cum epigraphe MARCELLVS. COS. QVINQ. & supra templum VIC. S. victoria Sicula. *Pudicitiam* Matronarum commendabat ejus effigies, vultum obtegentis velo, quæ in Augustarum numis sæpius occurrit. *Religio* Principis ut splendor in oculos populi incurreret, vel ipsius simulacrum ad aram stabat litantis more cum vasis & instrumentis sacris: vel Jovis templum erat conspicuum cum solita inscriptione IOVI. SOSPITATORI. VLTORI. QUIETATORI. VICTORI.

RI. item IOVIS. STATOR. ubi *Jovis* in recto casu accipitur pro Jupiter, & *Stator* dicitur, quod fugam stiterit. *Ob vias munitas* Cæsari Augusto gratos se stitere Romani cuso numismate splendido, in cujus parte adversa legebatur circa effigiem: CAESARI. AVGVSTO. S.P.Q.R. in averfa stabat pons arcuatus, supra quem arcus gemini triumphales cum stautis equestribus, & sublatis in altum trophæis, intra quæ inscriptio: QVOD VIAE MVN. SVNT. Qui *civitatem servarunt* ab imminente periculo, eorum numis duplex sertum ambientibus lauris erat adpositum cum inscriptione OB CIVIS SERVATOS. ut videre est in P. Cornelii Lentuli Scipionis numismate. Qui *colonias primi fundabant*, cum velo in capite junctis bobus ducentes sulcum representabantur, uti P. Plancus, conditor coloniae Lugdunensis.

M. Scauro Æmiliæ gentis Viro illustri, ubi Arabiæ Regem Aretam supplicem in *populi Romani fidem* recepit, numisma cufum fuit, in quo Virile simulacrum genua flectit, dextra porrigens olivæ ramum, sinistra frenum adstantis Cameli (symbolum est Arabiæ) moderatur cum inscriptione: M. SCAVR.

ÆD. CUR. EX. S. C. Cajus Servilius ad perpetuam *ludorum Flovalium*, quos primus instituit, *memoriam* numisma obtinuit, in cujus parte anteriore ipsius effigies cum corona ex floribus, & epigraphe: FLORAL. PRIMUS. F. Floralia primus fecit: ex altera duo Velites Romani cum galea & clypeo ac pugione cernuntur.

L. Manlii Torquati *facinus*, quo in pugna Nobili Gallo torquem e collo detraxit, torque hac marginem numi coronante, & Equite armato in cursum effuso expressum videtur. Illis qui primi *agros* militibus adsignarunt, honorem habuerunt Romani publico numismate, cujus facies averfa vexillum, aquilam, aratrum, & decempedam referebat, ut videre est in numo M. Vinicii. Elegans numisma est M. Antonio dicatum ob *Rempublicam constitutam*, in quo orbis comparet, cui infixus est caduceus, quem ex utraque parte ambiunt cornuacopiæ cum defluentibus fasciis & prominentibus spicis frumenti: Inscriptio est M. ANT. I^R. III. VIR. R. P. C.

Imperatorum, quorum *egregia facta* immortalis memoria digna censēbant, honorarunt symbolo seu simulacro Æternitatis, quæ modo ad aras stat expansis brachiis,



chiis, modo orbem pede premit, aut eisdem circulis astronomicis inscripto insidet, modo curru a leonibus tracto sublimis annulum, aut orbem, in quo Phœnix sedet, manu porrecta monstrat, modo una solis caput radiis cinctum, altera lunæ cornua gerentis verticem attollit. Denique Cæsaribus & Imperatoribus, quos ob res maximas prospere confectas consecratione seu Apotheosi dignos existimabant, (adulatio postea fere ad omnes honorem hunc extendit) vita sanctis numismata cusa consecrataque reperiuntur, in quibus vel stella, vel rogos, vel aquila (quam vivam in funebri ritu rogo inclusam dimittebant repente, ac si anima Augusti in cœlum avolaret) cum insigni non raro suggestu ornamentorum & imaginum conspicienda se præbent: Augustarum vero consecratio per pavonem, avem Junoni sacram, aut per thensam mulis junctam, id est, quadrigam qua Deorum exuviæ ad pulvinar in circumperlatae fuerunt, significabatur. Hæc numismatum facies erat usque ad Constantinum M. ejusque Successores, qui licet, multa quoque ethnicorum ornamenta in numis suis adhibuerint, addiderunt tamen, vel etiam sola posuerunt Christianæ Religionis ac pietatis monumenta. Celebre

est illud Monogramma, quod ex literis duabus initialibus X & P Christum significantibus composuere $\chi\rho$. Hoc signum in numo Placidiae lauro cingitur: in galea ipsius Constantini, atque in signis militari- bus resplendet variis inscriptionibus decoratum: HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS. vel GLORIA ROMANORUM. In numismate Magnentii legitur: A. $\chi\rho$ ω . SALUS. DD. NN. AUG. ET. CAES. id est, *Alpha & Omega, salus Dominorum nostrorum Augusti & Caesaris*, Magnentii scilicet ac Decentii. Quandoque Augusti in manibus & capite illud ferunt: aliquando solis characteribus inscriptum est IC. XC. NIKA. *Iesus Christus vincit*. Quin & ipsa Servatoris effigies capite radiis circumquaque fulgente in aliquibus numis conspicitur cum epigraphæ SALUS REIPUBLICÆ. vel IHS. XPS. REX. REGNANTIUM. græce *Ἰησὺς Χριστὸς Βασιλεὺς Βασιλείων*.

Quis modo est, qui non vel ex hoc solum capite ultimo hujus libri clare perspiciat, quantum e numismatum cognitione emolumentum capere liceat rei hujus studiosis ad maximarum rerum aliarum cognitionem, scilicet ad Familias Romanas, ad Magistratus, ad Ti-
tu-

tulos Augustorum, ad Veterum res præclare ac cum virtute gestas inter-noscendas? Non dissimulabo heic il-lud, de quo meminit Frœlichius, nempe Paullum Pedrusium e Societate JESU, quum Parmæ numos Veteres ibidem in gaza adservatos explanaret Nobili Juventuti, quæ Musis operam dabat, hoc veluti instrumento tacita quadam arte usum fuisse, ut eorum animos ad virtutis studium, & egre-giorum faciaorum imitationem excita-ret. Quum autem in re ista plurimum negotii facessere soleat literarum, quæ abbreviatæ perpetuo in numismatibus se se offerunt, lectio & cognitio, con-sultum fore existimavi, si ex ejusdem Erasmi Frœlichii S. J. erudito in paucis libello *de Utilitate Rei Numariae Vete-ris* adjectas ad calcem *Notas compendia-rias in latinis numis occurrentes* ad hu-jus quoque libri finem adponerem, plu-rimum lucis & facilitatis allaturas.





NOTÆ COMPENDIARIÆ
IN LATINIS NUMIS OCCUR-
RENTES.

A.

A. Anno Arelate. Augur. Augusta. Au-
gustus. Aulus. *Pranomen.*

A. A. Apollini Augusti.

A. A. duo Augusti. AAA tres Augusti.

A. AA. F. F. Auro, argento ære flando
feriundo. *Triumviri.*

ABN. Abnepos.

ACCI. Accitana Colonia. *Nunc Guadix
in Granatensi regno.*

ACT. Actiacus. Actia. Actium. *In Epiro,
bodie Prevenza.*

ACT. A. Actiacus Apollo.

AD. FRU. EMUL. Ad fruges emundas.

ADI. Adjutrix legio.

ADIAB. Adiabenicus. Adiabene. *Affyria
sic dicta est.*

ADOP. Adoptatus.

ADQ. *vel* ADQUIS. Adquisita.

ADVENT. AUG. *vel* ADV. AUG. Ad-
ventui, *vel* Adventus Augusti.

AED. Ædes. Ædilis.

AED. CUR. Ædilis Curulis.

AED.

AED. DIVI AUG. REST. Ædes Divi Augusti restituta.

AED. P. Ædilitia potestate, *vel* ÆED. POT.

AED. PL. Ædilis plebis.

AED. S. Ædibus sacris.

AEL. Ælius *nomen*.

AEL. MUN. COEL. ANT. Ælium Municipium Cælus, *vel* Coilli, *vel* Coillutanum Antoninianum *in Numidia*.

AEM. *vel* AEMIL. Æmilius *nomen*.

AET. Æternitas.

A. F. Auli filius.

A. F. A. N. Auli filius, Auli Nepos.

AGRIP. Agrippa *cognomen*.

AIM. Aimilius *pro* Æmilius *nomen*.

ALB. Albinus *cognomen*.

ALE. Alexandria *Ægypti*.

ALIM. ITAL. Alimenta Italiae.

ALIM. ITAL. SUBMIN. Alimenta Italiae subministrata.

ALVIT. Alvitius *nomen*.

AMB. Antiochensis moneta secundæ officinæ.

AN. Anno Antiochiæ.

ANB. Antiochiæ in secunda officina.

ANF. F. Annum novum, faustum, felicem.

ANIC: Anicius *nomen*.

ANN. DCCCLXXIII. NAT. URB. P. CIR.

CON. Anno octingentesimo septuagesimo
mo

mo quarto, Natali Urbis, populo Constituti.

ANT. *vel* AN. Antiochia Pisidia.

ANT. AUG. Antonius Augur.

ANT. H. Antiochiæ in octava officina.

ANTIAT. Antiati. *Fortuna Antiati.*

ANTIO. COL. Antiochia colonia. *Pisidia.*

ANT. Antonius, *vel* ANT. *vel* AN.

AP. Appius *Prænomen, & nomen subinde.*

A. P. F. Argentum, *vel* auro publico feriendo, *vel* argentum primum flavit.

A. P. LC. Prima in officina, percussa Lucduni.

APOL. CONS. AUG. Apollo Conservator Augusti.

APOL. MON. Apollo Monetalis.

APOL. PAL. Apollini Palatino.

A. POP. FRUG. AC. A populo fruges acceptæ.

APP. Appius.

A. PU. Argentum puro, *vel* publico.

AQ. Aquilius *nomen.* Aquileia.

AQL. Aquileia.

AQ. MAR. Aqua Marcia.

AQ. O. B. F. Aquileia in officina secunda statum, *vel* officinæ secundæ fabrica.

AQ. P. S. Aquileiæ pecunia signata.

AQ. S. Aquileiæ signata.

AQUA. M. *vel* MR. Aqua Marcia.

- AR. *vel* ARL. Arelate.
AR. Aurelius AUR. *nomen.*
ARAB. AQUIL. *vel* ADQUI. Arabia ad-
quisita.
ARM. ARMEN. Armenia. Armeniacus.
ARMEN. CAP. Armenia capta.
ARA. PAC. Ara Pacis.
A. R. P. C. A. Alter Reipublicæ consti-
tuendæ Augustus. *forte.*
ARR. Arrius *Nomen.*
ASI. Asia. Asiagenes. *cognomen.*
A. SISC. Prima *in officina* Siscia.
AST. Astigitana. *in Bætica, nunc Eceja.*
AUG. Augur. Augustalis. Augusti. Augustus.
AUG. D. F. Augustus Divi filius.
AUG. G. AUG. Augusti Gener. Augustus.
forte.
AUGUST. Augustalia. Augustalis. Augustus.

B.

- B. Berytus. Bono. Braceara. *in secunda offi-*
cina.
B. A. Braccara Augusta. *Lusitaniæ.*
BAEB. Bæbius. *nomen.*
BALB. Balbus. *Cognomen.*
BARB. Barbatus, *vel* Barbula. *Cognomen.*
BARBAT. Barbatus.
B. A. R. NAT. *pro* B. R. P. NAT. bono
Reipublicæ nato.
BON. EVENT. Bonus eventus.

BRIT.

BRIT. Britannicus.

BROC. Brochus. *Cognomen.*

B. R. P. Bono Reipublicæ.

BRUN. Brundisium *Italiæ, Brindesi.*

B. SIRM. In secunda officina Sirmii. *Sclavoniæ, nunc Sirmich.*

B. S. LC. In secunda officina signata Lugduni.

B. T. Beata tranquillitas.

BUTHR. Buthrotum. *Epiri, nunc Butrinto.*

C.

C. Cæsar. Cajus. *prænomen.* Carthago. Censor. Centum. Civis. Clypeus. Cohors. Colonia. Consultum. Cornelius.

C. A. Cæsar Augusta. *Hispaniæ caragoca.*

C. A. A. P. vel PATR. Colonia Augusta Aroë Patrensis, *vel Colonia Prima Augusta Patrensis. Achaia, nunc Patras, vel Patrassô.*

CABE. Cabellio. *Galliæ Cavaillon.*

C. A. BUT. Colonia Augusta Buthrorum. *Epiri nunc Butrinto.*

C. A. C. Colonia Augusta Cæsarea, *aut potius Colonia Ælia Capitolina Jerusalem.*

CÆ. vel CÆS. vel CA. Cæsarea. *Antiochia Pisidiæ.*

- CÆ. Cæcina *Cognomen*, vel Colonia Augusta Emerita. *Hispaniæ, Merida.*
CÆ. vel COE. Cælius *nomen.*
CÆS. Cæsar. CÆSS. Cæsares duo. CÆSSS. Cæsares tres.
C. A. I. Colonia, Augustas Julia. *Hispaniæ, Cadix forte.*
CAP. Calpurnius. *nomen.*
CAL. Calaguris- *Hispaniæ, Calaborra.*
Calidius. *nomen.*
CAM. Camillus. *Cognomen officii; Ministri adolescentis ad aras.*
CAN. Caninius. *nomen.*
C. A. O. A. F. Colonia Antoniniana. Oea Augusta Felix. *Africæ.*
CAP. Capito *Cognomen.* Capitolina.
C. A. PI. MET. SID. Colonia Aurelia pia Metropolis Sidon.
C. A. R. Colonia Augusta Rauracorum. *Pagus August prope Basileam forte. vel Colonia Alta Regia. Hispaniæ, Xerez della Frontera.*
CARTH. Carthago. *Africæ, etiam Hispaniæ.*
CC. Ducentesima. *Vestigal.*
C. C. A. Colonia Cæsarea Augusta. *Saragoça Hispaniæ.*
C. C. COL. LUG. Clandia Copia Colonia Lugdunensis. *Galliæ, Lion.*
C. C. I. B. Colonia Campestris Julia Babba. *Mauritaniæ Tingitanæ.*

- C. C. I. B. D. D. Colonia Campestris Julia Babba decreto Decurionum.
- C. C. I. H. P. A. Colonia Concordia Julia Hadrumetina pia Augusta. *Africa.*
- C. CIV. *vel* C. CIB. D. D. PUB. Corona Civica data decreto publico.
- C. C. N. A. Colonia Carthago nova Augusta. *Hispania, Carthagena.*
- C. C. N. C. D. D. Colonia Concordia Norba Cæsareana, decreto Decurionum. *Hispania, Alcantara.*
- C. COR. Colonia Corinthus.
- CC. R. Ducentesima remissa, *vel* Circenses restituti.
- C. C. S. Colonia Claudia. Sabaria. *Hungaria, Szombatbely.*
- C. CUP. Cajus Cupiennius. *Prænomen, & nomen.*
- CEN. *vel* CENS. Censor.
- CENS. PP. Censor perpetuus.
- CER. SACR. PER. OECUMÉ. ISELA. Certamina Sacra periodica, *vel* perpetua œcumenica, Iselastica.
- CERT. QUIN. *vel* QUINQ. ROM. CON. Certamina quinquennalia Romæ constituta.
- CERT. SAC. Certamina Sacra.
- C. E. S. Cum exercitu suo.
- CEST. Cestius. *nomen.*
- C. F. Cajus Fabius. *Prænomen, nomen.*

- C. F. C. N. Caji Filius. Caji Nepos.
C. F. P. D. Colonia Flavia Pacensis Deul-
ton. *Thraciæ.*
C. G. I. H. P. A. Colonia Gemella Julia
Hipponensis pia Augusta. *Africæ,* vel
Colonia Germe Julia Hadriani pia Au-
gusta, *etiam sine A. Hellepontii.*
C. G. JVL. H. A. P. Colonia Gemella Ju-
lia Hipponensis Augusta pia. *Africæ.*
C. I. A. D. Colonia Julia Augusta Derto-
na, *Liguriæ, Tortona.*
C. I. AV. Colonia Julia Augusta. *Hispaniæ,*
Cadiz.
C. I. AV. F. SIN. Colonia Julia Augusta
Felix Sinope. *Ponti Asiatici.*
C. I. B. Colonia Julia Balba. *Mauritaniæ*
Tingitanæ.
C. I. C. Colonia Julia Carthago. *vel Co-*
rinthus. forte.
C. I. C. A. A. P. Colonia Julia Carthago
Augusta antiqua pia. *Hispaniæ, villa*
franca de Pauades. vel Colonia Julia Co-
rinthus Augusta Antoniniana pia.
C. I. CÆS. Caji Julius Cæsar. *Prænomen,*
nomen, cognomen.
C. I. CALP. Colonia Julia Calpe. *Hispa-*
niæ, Torre di Cartagena.
C. I. F. Colonia Julia Felix. *vel concordia*
invicta felix.

- C. I. F. S. Colonia Julia Felix Sinope. *Ponti Asiatici.*
- C. I. G. A. Colonia Julia Gemella Accitana, Augusta. *Granatensis Regni Gaudix.*
- C. I. G. ACC. L. III. Colonia Julia Gemella Accitana: Legio tertia.
- C. I. I. A. Colonia immunis Illice Augusta. *Hispaniæ Elcbe.*
- C. I. N. C. Colonia Julia Norba Cæsariana. *Hispania Alcantara. vel Colonia Julia Nova Carthago. Hispaniæ Cartagena.*
- CIR. CON. Circenses concessit, *vel* Circenses conditi, *vel* concessi.
- C. I. V. Colonia Julia Valentia, *Hispania.*
- CIVIB. ET, SIGN. MILIT. A. PARTH. RECVP. Civibus, & Signis militaribus a Parthis recuperatis.
- CL. Claudius. *nomen.* Claudia, Clypeus. Colonia.
- CLA. Claudius.
- CLASS. PR. Classis præfectus.
- C. L. AVG. F. Cajus Lucius Augusti filii.
- C. L. CÆS. F. C. V. T. Cajus Lucius Cæsaris filii. Colonia victrix Tarraco.
- C. L. CÆSS. Cajus, Lucius, Cæsares.
- C. L. I. COR. Colonia Laus Julia Corinthus.

C. L. I. N. AVG. Colonia Laus Julia nova
Augusta. *Italiae, Lodi.*

C. MALL. Cajus Malleolus. *Cognomen cum
prænomine.*

C. M. L. Colonia Metropolis Laodicea.
In Syria Gale.

CN. DOM. AMP. Cneus Comitius Am-
plus. *prænomen, nomen, cognomen.*

CN. F. Cnæi, *vel Cnei filius. prænomen.*

CN. MAG. IMP. Cneus Magnus Impera-
tor.

CΘ. Constantinopoli *in officina nona.*

CO. DAM. METRO. Colonia Damascus
Metropolis. *Syriae.*

COHH. PRAET. VII. P. VI. F. Cohortes
Prætorianæ septimum piæ sextum fide-
les.

COH. I. CR. Cohortis primæ Cretensis.

COHOR. PRÆ. *vel* PRÆT. Cohortes præ-
torianæ.

COH. PR. Cohors prætoriana.

COH. PRÆ. PHIL. Cohors prætoriana
Philippensium.

COL. A. A. PATR. Colonia Augusta
Aroë Patrensis. *Patrasso.*

COL. Æ. A. HA. MET. Colonia Ælia,
Augusta, Hadrumetina Metropolis.
Africae.

COL. ÆL. CAP. COMM. P. F. Colonia

- Ælia Capitolina Commodiana pia felix.
Jerusalem.
- COL. ÆL. COMM. Colonia Ælia Commo-
diana. *Jerusalem.*
- COL. ÆL. HADR. AVG. Colonia Ælia
Hadriana Augusta. *forte Jerusalem.*
- COL. ÆL. KAP. *vel* CAP. Colonia Ælia
Capitolina. *Jerusalem.*
- COL. ALEX. TROAS. Colonia Alexan-
drina Troas. *Troja instaurata.*
- COL. AMAS. *vel* AMS. Colonia Amastria-
norum. *Paphlagonia.*
- COL. ANT. *vel* ANTI. Colonia Antiochia
Pisidia.
- COL. ARELAT. SEXTAN. Colonia Are-
lata Sextanorum. *Gallia, Arles.*
- COL. AST. AVG. Colonia Astigitana Au-
gusta. *Hispania, Eceja.*
- COL. AVG. FEL. BER. Colonia Augusta
Felix Berytus. *Palæstina.*
- COL. AVG. FIRM. Colonia Augusta fir-
ma, *seu Astigitana, Eceja.*
- COL. AVG. JUL. PHILIP. Colonia Au-
gusta Julia Philippensis. *Thracia.*
- COL. AVG. PAT. TREVIR. Colonia Au-
gusta Paterna Trevirorum. *Germania.*
- COL. AUG. TROA. *vel* TROAD. Colo-
nia Augusta Troadensis. *Troja.*

- COL. AVR. KAR. COMM. P. F. Colonia Aurelia Karrhæ Comodiana pia felix. *Mesopotamiæ. vel Colonia Aurelia Carneatum Commagene pia felix. Syria.*
- COL. AVR. ANTONINIANA. AVG. Colonia Aurelia Antoniniana Augusta. *Troas.*
- COL. AVR. P. M. SIDON. Colonia Aurelia pia Metropolis Sidon. *Syria.*
- COL. B. A. Colonia Braccara Augusta. *Lusitaniæ, Braga.*
- COL. BERYT. L. V. VIII. Colonia Berytus Legio quinta, & octava.
- COL. CABE. Colonia Cabellio. *Gallia Cavaillon.*
- COL. CÆS. AVG. Colonia Cæsarea Augusta. *Palæstina.*
- DOL. CAMALODIN. Colonia Camalodunum. *Angliæ, Maldon.*
- COL. CASILIN. Colonia Casilinum. *Italia, Capua nova.*
- COL. CL. PTOL. Colonia Claudia Ptolemais. *Phœnicia.*
- COL. COR. Colonia Corinthus.
- COL. ΔAMAS. METRO. Colonia Damascus Metropolis. *Syria.*
- COL. F. I. A. P. BARC. Colonia Flavia Julia Augusta pia Barcino. *Hispania, Barcellona.*

- COL. FL. PAC. DEULT. Colonia Flavia Pacensis Deulton. *Thracia.*
- COL. GEM. ACCI. LEG. VI. Colonia Gemella Accitana Legio sexta. *Guadix, in Granata.*
- COL. HA. ME. T. Colonia Hadriana Mercurialis Thænitana. *Insula Cycladum una, nunc Ferro. forte.*
- COL. HEL. *vel* H. LEG. H. Colonia Heliopolis, legio Heliopolis, *vel* Heliopolitana, *vel* octava.
- COL. HEL. I. O. M. H. Colonia Heliopolis Jovi Optimo Maximo Heliopolitano. *Syria.*
- COL. JVL. AVG. C. I. F. COMAN. Colonia Julia Augusta concordia invicta felix Comanorum. *in Cappadocia ponto.*
- COL. JVL. AVG. FE. CREMNA. Colonia Julia Augusta Felix Cremna. *Pamphylia urbs.*
- COL. JVL. AVG. FEL. BER. *vel etiam* CAR. Colonia Julia Augusta Felix Berytus. *vel* Carthago.
- COL. JVL. AVG. FEL. HEL. Colonia Julia Augusta Felix Heliopolis. *Palæstina.*
- COL. JVL. AVG. FIRM. Colonia Julia Augusta Firma. *Hispania, Eceja.*
- COL. JVL. AVG. PHILIP. Colonia Julia Augusta Philippi. *Thracia.*

- COL. JVL. BER. Colonia Julia Berytus.
Palæstinae.
- COL. JVL. CER. SAC. AVG. FEL. CAP.
OEC. ISE. HEL. Colonia Julia, certamen sacrum, Augustum Felix, Capitolinum Oecumenicum, cum, Iselasticum, Heliopolitanum. *Heliopolis, Syriae Phœnices.*
- COL. JVL. CONC. APAM. AVG. D. D.
Colonia Julia Concordia Apamen Augusta, decreto Decurionum. *Bithynias.*
- COL. JVL. GEM. ACCI. Colonia Julia Gemella Accitana. *Hispaniae, Guadix.*
- COL. JVL. PATERN. NARB. Colonia Julia Paterna Narbonensis. *Galliae.*
- COL. JVL. PHIL. Colonia Julia Philippi.
Thraciae, vel Macedoniae.
- COL. JVL. VAL. Colonia Julia Valentia.
Hispaniae.
- COL. L. JVL. *vel* COL. LAVS. I. COR.
Colonia Laus Julia Corinthus.
- COL. NEM. Colonia Nemausus. *Galliae, Nismes.*
- COLONIA. NICEPH. COND. Colonia Nicephorium condita. *Mesopotamiae, vel Syriae prope Mesopotamiam.*
- COL. PATR. Colonia Patrensis, *vel* Patricia. *Patricia, Corduba dicta est in Hispan.*

COL. P. F. AV. F. CAES. MET. Colonia
Prima Flavia Augusta Felix Cæsarea
Metropolis. *Palæstina.*

COL. P. FL. AVG. CAES. METR. P. S. P.
Colonia prima Flavia Augusta Cæsarea
Metropolis Provinciæ Syriæ Palæstina.

COL. PR. F. A. CAESAR. Colonia Pri-
ma Flavia Augusta Cæsarea. *Palæstina.*

COL. PTOL. Colonia Ptolemais. *Pheni-
cia.*

COL. R. F. AVG. FL. METROP. Colo-
nia Romana felix Augusta Flavia Cæsa-
rea metropolis.

COL. ROM. Colonia Romulensis. *Hispa-
nia, Sevilla.*

COL. ROM. LVGD. Colonia Romanorum
Lugdunum. *Gallia, Lyon.*

COL. RVS. LEG. VI. Colonia Ruscino,
Legio sexta. *Gallia, Rouffillon.*

COL. SABAR. Colonia Sabaria. *Hungaria
prope Ginsium Szombatbely.*

COL. SEBAS. Colonia Sebatte. *Palæstina.*

COL. SER. G. NEAPOL. Colonia Servii
Galbæ Neapolis. *Palæstina.*

COL. TRO. Colonia Troas. *Troja instaurata.*

COL. V. I. CELSA. Colonia Victrix Julia
Celsa. *Hispania, nunc Xelsa.*

COL. VIC. JVL. CELSA. Colonia Victrix
Julia Celsa.

- COL. VIC. JVL. LEP. Colonia Victrix
Julia Leptis. *Africae, Lebida.*
- COL. VIM. AN. I. Colonia Viminacium
anno primo. *Widin, in Servia.*
- COL. VLP. TRA. Colonia Ulpia Trajana.
Transylvaniae, Várbel.
- COM. Commodus.
- COM. ASI. ROM. ET. AVG. Commune
Asiae, Romæ, & Augusto.
- COM. IMP. AVG. Comes Imperatoris
Augusti.
- COMM. Commodus, Commodiana. *Co-*
loniae titulus.
- COMOB. Constantinopoli moneta in se-
cunda officina *percussa.*
- CON. *vel* CONS. *vel* CONST. Constanti-
nopoli.
- CONC. Concordia.
- CONC. APAM. Concordia Apamena.
Bitbyniae.
- CONC. COM. Concordia Commodi.
- CONGIAR. DAT. POP. Congiarium da-
tum populo.
- CONG. P. R. Congiarium populo Roma-
no. *vel* PR. Primum.
- CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT.
Congiarium tertium populo Romano
impensis maximis datum.
- CONOB. Constantinopoli in officina se-
cunda.

CONS. A. Constantinopoli in prima officina.

CONS. P. A. Constantinopoli percussa in officina prima.

CONS. SUO. Conservatori suo.

CONSTANTINO. P. AVG. B. M. V. N. P. R. Cl. M. S. P. L. C. Constantino Patri Augusti bonæ memoriæ Urbis nostræ perpetuo Rectori Cives municipi suo primæ Lugdunenses civitates. *forte.*

COOPT. Cooptatus.

CO. P. F. CAE. METRO. Colonia prima Flavia Cæsarea Metropolis. *Palæstinae.*

C. O. P. I. A. Colonia Octavianorum Pacensis Julia Augusta. *in Foro Julio.*

COR. Corinthus, Cornelius. *nomen.*

CO. R. M. OB. Constantinopoli, Romæ, moneta obsignata. *forte.*

CO. R. NO. B. Constantinopoli Romæ novæ in officina secunda.

COS. Consulibus. *vel* Consul. COS. III. *vel* TER. Consul. tertium &c.

COS. DES. Consul designatus.

COS. IER. ET. TER. DESIG. Consul iterum, & tertium designatus.

COSS. Consules.

C. OVAL. HOSTIL. COVINTVS. C. Valens Hostiljanus quintus.

- C. P. Colonia Patrensis. *Acbaiae, nunc Patraffo, vel Patras.*
- C. PAET. Cajus Paetus.
- C. P. C. A. D. D. Coloniae Patrensis cives Augustum salutant decreto Decurionum.
- C. P. FL. AVG. F. G. CAES. METR. P. S. P. Colonia prima Flavia Augusta felix Germanica Caesarea Metropolis Provinciae Syriae Palaestinae.
- C. R. Claritas Reipublicae.
- CRAS. Crassus. *Cognomen, & dein nomen.*
- C. R. I. F. S. Colonia Romana Julia felix Sinope. *Ponti Asiatici.*
- CRIT. Crito. *Cognomen.*
- C. S. Cives servatos. *vel Claritas saeculi.*
- C. SACR. FAC. Censor Sacris faciundis.
- C. T. T. Colonia Togata Tarraco. *Tarragona in Hispania.*
- C. V. Clypeus votivus, *vel clypeis votis.*
- C. VAL. HOST. M. QUINTVS. Cajus Valens Hostilianus. *Mellius quintus.*
- C. VET. LANG. Cajo Vettio Languido. *Praenomen, nomen, cognomen.*
- C. V. I. C. Colonia Victrix Julia Celsa. *Hispaniae, Xelsa.*
- C. VI. CEL. Cajus Vibius Celsus. *Praenomen, nomen, cognomen, vel Colonia Victrix Julia Celsa.*
- C. V. IL. Colonia Victrix Illice. *Hispaniae, nunc Elche.* C. V.

- C. V. I. N. C. Colonia Victrix Julia Nor-
ba Cæsariana. *Hispaniæ, Alcantara.*
CVM. EXER. SVO. Cum exercitu suo.
C. V. P. P. Consul quintum. Pater Patriæ.
CVR. X. F. Curator Denariorum Flando-
rum, *vel* curavit Denarium faciendum.
C. V. T. T. Colonia Victrix Togata Tar-
raco. *Hispaniæ, Tarragona.*

D.

- D. Dacia, De. Decimus *praenomen*, De-
cretum. Decurio. Deo. Designatus.
Devotus. Dii. Divus.
D. *vel* DEVLT. Deulton. *Thraciæ.*
D. A. Divus Augustus.
DAC. Dacicus.
DAC. CAP. Dacia capta.
DAMA. *vel* ΔAMA. *vel* DAMAS. Dama-
seus. *Syriæ.*
D. AVG. Divo Augusto.
D. C. A. Divus Cæsar Augustus.
D. C. C. N. C. Decuriones Colonix con-
cordiæ Norbæ Cæsarianæ. *Hispaniæ,*
Alcantara.
D. CL. SEPT. ALBIN. Decimus Clodius
Septimius Albinus.
D. C. S. De Consulium sententia.
D. D. Decreto Decurionum.
D. D. D. Dedicaverunt Decuriones. *vel*
datus decreto Decurionum.
D. D. D.

- D. D. D. N. N. N. Domini nostri. *de tribus.*
D. D. EX. CON. C. C. I. B. Decurionum
ex consensu coloniæ campestris Julię
Babbæ. *Mauretaniæ.*
D. D. NN. Domini Nostri. *de duobus.*
D. D. P. P. Decuriones posuerunt.
DEBELLATORI. GENTT. BARBARR.
Debellatori Gentium barbarum.
DEC. Decennalia.
DEC. DEC. Decreto Decurionum.
DEO. NEM. Deo Nemauso.
DERT. Dertosa. *Cataloniæ, Tortosa.*
DES. *vel* DESIG. Designatus.
D. F. Dacia felix.
D. F. D. N. Decimi Filius. Decimi Nepos.
DIANA. PERG. Diana Pergensis. *In Pam-*
phylia est Perga.
DIC. PERP. Dictator perpetuus.
DICT. Dictator.
D. I. M. S. Deo invicto Mithræ Sacrum.
D. N. Dominus Noster.
D. N. N. Q. E. Devotus Numini, Majesta-
tique Ejus.
DOM. Domitius. *nomen.*
DOMIT. Domitianus.
D. P. Dii Penates. Divus Pius.
DR. CÆS. Q. PR. Drusus Cæsar. quin-
quennalis Præfectus.
D. S. I. M. Deo Soli invicto Mithræ.
DV. Divus.

E.

E. Ejus. Est.

EGN. GALLIENVS. AVG. Egnatius Gallienus Augustus. *Imperator.*

EID. MART. Idus Martii.

E. P. E. Effigiem Pacis erexit. *forte.*

EQ. COH. Equestris Cohortis.

EQ. M. Equitum Magister.

EQ. ORDIN. Equestri Ordini.

ETR. Etruscus.

EUR. Europa.

EX. A. P. *vel* PU. Ex argento puro. *vel* publico.

EX. CONS. Ex consensu.

EX. D. D. Ex Decreto Decurionum.

EX. EA. P. Q. I. S. AD. A. D. E. Ex ea pecunia, quæ jussu Senatûs, ad ærarium delata est.

EXER. *vel* EXERC. Exercitus, *vel* Exercituum.

EXERC. PERS. Exercitus Persicus.

EX. S. C. Ex Senatûs Consulto.

EX. S. D. Ex Senatûs Decreto.

F.

F. Fabius. Faciundum. Fecit. Felix. Filius. Finnicus. Flamen. Flavit. Fortuna. Frumentum.

FAB. *vel* FABI. Fabius, *nomen.*

- FABRIC. Fabricius. *nomen.*
FAD. Fadius. *nomen.*
FANE. Fanestre. *Municipium Italiae, Fano forte.*
F. B. Felicitas beata.
F. C. Faciundum curavit. *vel* Frumento convehendo.
FÆCVND. Fæcunditas.
FEL. TEMP. REP. *vel* F. T. R. Felix temporum reparatio.
FEN. Fenestella. *cognomen. vel* Fenius. *nomen.*
FER. Feronia.
F. F. Flando feriundo.
F. H.
R. T. Felix Hilarium. Reparatio Temporum.
FID. EXERC. Fides exercitus, *vel* exercituum.
FL. Flamen Flavius.
FLAM. Flaminius. *cognomen.*
FLAM. DIAL. Flamen Dialis.
FLAM. MART. Flamen Martialis.
FL. D. Flamen Divi.
FL. FEL. Flaviæ felicis legionis.
FOR. RE. *vel* FORT. RED. Fortunæ redaci.
FORT. FELI. Fortunæ felici.
EORT. P. R. Fortitudo, *vel* Fortuna Populi Romani.
FORT. PRIM. Fortunæ primigeniæ.
FOVR.

FOVR. Furius. *nomen.*F. P. R. Fortuna Populi Romani, *vel* Fortitudo.

FR. Frumentum.

FRVG. AV. Fruges acceptæ.

F. T. Felicitas temporum.

FVL. Fulvius. *nomen.*FVLG. Fulgerator. *Jovis epitheton.*FVLM. Fulminator. *Jupiter.*

G.

G. Galindicus. Gaudium. Gemina. Genius. Germanus. Gnæa.

GADIT. Gaditanus.

GAL. Galerius. *nomen, vel prænomen.*

G. AVG. Genio Augusti.

G. COR. SVPER. Gnæa Cornelia Supera.

G. D. Germanicus, Dacicus.

G. D. PARTH. Germanicus, Dacicus, Parthicus.

GEM. L. Gemina legio *vel* Gemella legio.

GEN. COL. COR. Genio Coloniae Corinthi.

GEN. COL. NER. PATR. Genio Coloniae Neronianæ Patrensis.

GENET. ORB. Genetrix Orbis.

GEN. ILLYRI. *vel* GENIUS. ILLY. Genius Illyrici.GER. *vel* GERM. Germaniæ, Germanicus, Germanis.

GER.

- GER. Germinia Provincia.
GF. Gemina, *fidelis legio.*
GL. E.R. Gloria excitus Romani.
GL. P.R. Gloria populi Romani.
G.R. Gloria Romanorum.
G. L. S. Genio loci sacrum.
G. M. V. Gemina Minervia victrix. *legio.*
GOTH. Gothicus.
G. P. Græcia peragrata. *adventus Augusti.*
G. P. R. Genio populi Romani.
GRA. *vel* GRAC. Graccus *cognomen & subinde nomen.*
G. T. A. Genius Tutelaris Ægypti, *vel Geminæ. Tutator Africae.*
G. T. AE. Genius Tutelaris Ægypti.
G. V. Gemina victrix *legio.*

H.

- H. Hastati.
HADR. Hadrianus.
HEL. Heliopolis, Helvius.
HELV. Helvius. *nomen.*
HER. Herennius, Hercules.
HERAC. Heraclitus, *cognomen.*
HERC. GADIT. Herculi Gaditano.
HERC. ROM. Herculi Romano.
HIP. Hippius, *nomen.*
HIS. *vel* HISP. Hispalis, Hispalus. *cognomen.* Hispania.
BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VI, M HO.

HO. Honos.

H. P. Hastatorum & Principum, *in vexillis.*HS. *vel* HS. sestertii nota.

I.

I. Imperator. Jovi. Julius. Juno. Jussa. Prima.

I. A. Imperator Augustus. *vel* indulgentia Augusti.

IAN. CLV. Janum clusit.

I. C. Imperator Cæsar. *vel* Julius Cæsar.

I. C. A. P. Inter Cœlites ante Patrem forte.

III. VIR. *vel* IV. VIR. Quatuorvir.III. V. NB. *similes numeri in velcum signis militaribus notant legiones. Sic 3tia & 5ta legio &c.*

III. VIR. Triumvir.

III. VIR. AE. CER. Triumvir ædilis cœrealis.

III. VIR. R. P. C. Triumvir reipublicæ constituendæ.

II. M. M. CC. FFILIPPIS. AVG. Duobus Imperatoribus Cæsaribus Philippis Augustis.

I. IT. Imperator iterum.

II VIR. Duumvir.

II VIR. Q. *vel* QVINQ. Duumvir quinquennalis.

IM. *vel* IMP. Imperator.

IMP. CÆS. AVG. COMM. CONS. Imperator Cæsar Augustus, communicon-
sensu.

IMP. CÆS. G. M. Q. Imperator Cæsar
Gnæus, *vel* Gneus Messius Quintus.

IMP. C. C. VA. F. GAL. VEND. VOLV-
SIANO. AVG. Imperatori Cæsari Cajo,
vel Carpico, Vandalico, Finnico, Ga-
lindico, Vendenico, Volusiano Au-
gusto.

IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS.
Imperator Cæsar Marcus Cassius Latie-
nus Postumus.

IMPP. Imperatores duo, *vel* Imperator
perpetuus.

IMPPP. Imperatores tres.

IO. CANTAB. Jovi Cantabrico.

I. O. M. D. Jovi Optimo Maximo dicatum.

I. O. M. H. Jovi Optimo Maximo Helio-
politano.

I. O. M. S. Jovi Optimo Maximo Sacrum.

I. O. M. SPONS. SECVRIT. AVG. Jovi
Optimo Maximo Sponsori securitatis
Augusti.

I. O. M. S. P. Q. R. V. S. PR. S. IMP.
CAE. QVOD. PER. E. V. R. P. IN.
AMP. ATQ. TRAN. S. E. Jovi Optimo
Maximo Senatus, populusque Roma-
nus, voto suscepto, pro salute Impera-

toris Cæsaris, quod per eum Respublica in ampliori, atque tranquillo statu est.

IOVI. O. M. V. C. Jovi optimo Maximo Victori Conservatori.

IOVI. PRAE. ORBIS. Jovi Præsidi Orbis.

IOVI. VOT. SVSC. PRO. SAL. CAES. AVG. S. P. Q. R. Jovi votis susceptis pro salute Cæsaris Augusti Senatus. populusque Romanus.

IOV. OLYM. Jovi Olympio.

IOV. TON. Jovi Tonanti.

ISEL. OECVM. Iselastica œcumenica, certamina.

I. S. M. R. Juno Sospita Magna Regina, vel Mater Romanorum.

IT. iterum.

IÆ. Italia.

ITALIC. MVN. Italicense municipium. Hispania, Sevilla, La Vieja.

IV. Imperator quintum. I. IV. Imperator quartum.

IVL. Julia, Julius, nomen.

IVL. TRA. Julia Traducta, Mauritania Tingitana.

IVI. V. MAXIMVS. C. Julius Verus, Maximus Cæsar.

IVN. Junior, Junius. nomen. Juno.

IVP. Jupiter.

K.

- K. Kæso, *prænomen vetus.*
KAN. Kaninius. *nomen.*
KAP. Kapitolina.
KAR. Carthago. *seu Karthago.*
K. O. Carthaginensis officina.
KRT. E. Carthagine in quinta officina.

L.

- L. Laus. Legatus. Legio. Lucius *prænomen.* Ludi.
L. *vel* LC. Lugduni.
L. AEL. Lucius Ælius. *Prænomen, vel nomen.*
LAPHR. Laphria. *Diana.*
L. CAN. Lucius Caninius. *Caninius nomen.*
L. COE. *vel* CAE. Lucius Cœlius. *Cælius nomen.*
LEG. AVG. PR. PR. Legatus Augusti pro Præatore.
LEG. GEM. *vel* PAC. *vel* PARTH. *vel* NEP. *vel* VLP. Legio gemina, Pacifica, Parthica, Neptunia. Vlpia.
LEG. I. ADI. P. F. Legio prima adjutrix prima fidelis.
LEG. III. FL. VI. P. VI. F. Legio quarta Flavia Sextum pia, Sextum fidelis.

- LEG. III. ITAL. Legio tertia Italica. *vel*
 GAL. Gallica.
- LEG. II. PART. V. P. V. F. Legio secun-
 da Parthica, quintum pia quintum
 fidelis.
- LEG. II. TR. FOR. Legio secunda Traja-
 na fortis.
- LEG. M. XX. Legio Macedonica, *vel*
 Minervia vicesima.
- LEG. I. MIN. Legio prima Minervia.
- LEG. PRI. Legio prima.
- LEG. PRO. PR. Legatus pro Pratore.
- LEG. VII. CL. GEM. P. FIDEL. Legio
 septima Claudia, gemina pia fidelis.
- LEG. VIII. AVG. Legio octava Augusti.
- LEG. VI. MAC. VII. P. VII. F. Legio sexta
 Macedonica, septimum pia, septimum
 fidelis.
- LEG. V. M. P. C. Legio quinta Macedo-
 nica, pia, constans.
- LEG. XI. CL. Legio undecima Claudia.
- LEG. XII. GEM. M. V. Legio duodecima
 Gemina Minervia victrix.
- LEG. XVI. FR. Legio decima sexta Fre-
 tentis.
- LEG. XX. V. V. Legio vicesima Valeria
 victrix.
- LEG. XXX. NEP. VI. F. Legio tricesima
 Neptunia sextum fidelis.

LEG. XXXVI. P. VICT. P. F. Legio tricesima sexta Parthica victrix pia fidelis.

LEG. XXX. VLP. Legio tricesima Vlpia.
LENT. CVR. X. F. Lentulus curavit denarium faciendum, *vel* Flandum.

LEP. Lepidus. *Cognomen, & nomen deinde. vel* Leptis. *Africa.*

L. F. L. N. Lucii filius, Lucii nepos.

L. H. T. Lucius Hostilius Tubero. *Prænomen, nomen, cognomen.*

LIBERO. P. Libero Patri.

LIB. III. Liberalitas tertia.

LIB. IVL. EBORA. Liberalitas. Julia Eboræ. *Lusitaniæ, Evora.*

LIB. PVB. Libertas publica.

L. I. C. Laus Julia Corinthus.

LIC. COR. SAL. VALER. N. CAES. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus nobilis Cæsar.

LIC. LICIN. Licinius Licinianus. *Licinius nomen.*

L. I. MIN. Legio prima Minervia.

L. MAN. Lucius Manlius. *Manlius nomen.*

LON. Longus. *Cognomen.*

L. P. Lugduni percussa, *vel* Lugdunensis. pecunia.

L. P. D. A. P. Lucius Papirius designatus Ædilis Plebis.

L. R. Lucius Rubrius, *vel* Roscius. *nomen.*

L. S. DEN. Lucius Sicinius Dentatus. *Prænomen, nomen, cognomen.*

L. VAL. Lucius Valerius. *Valerius nomen.*

LVC. Lucanus. *vel* Lucio. *Cognomen.*

LVCIF. Lucifera. *Diana.*

LVC. P. S. Lucduni pecunia signata.

LVC. S. Lucduni signata *moneta.*

LVD. CIRC. Ludi circenses.

LVD. EQ. Ludi equestres.

LVGD. OFF. S. Lugdunensis officina signavit.

LVG. S. M. Lugduni signata moneta.

LVP. Lupercus. *Cognomen.*

LV. PC. S. Lugduni pecunia signata.

M.



M. Mæsiæ, Marcus, *Prænomen.* Memmius *nomen.* Mensis *Deus Lunus,* Minervia. *Moneta.* Municeps, Municipium, *Munitæ,*

M. Manius. *Prænomen.*

M. A. Marcus Aurelius. *Prænomen & nomen.*

M. A. C. AVG. Magna ædes Cæsaris Augusti. *vel* Mausolæum Cæsaris Augusti. *vel* Marcellum Augusti. *Elige, quod lubet.*

M. AEM.

- M. AEM. Marcus Æmilius. *Prænomen & nomen.*
MAG. DECENT. Magnentius Decentius.
MAG. EQ. Magister equitum.
MAG. PIVS. Magnus, Pius. *Cognomina Cnæi Pompeji.*
MA. KANI. Manius Kaninius. *Prænomen, nomen.*
MAM. Mamercus. *Prænomen, & nomen subinde.*
MAN *vel* MANL. Manlius. *nomen.*
M. ANN. Marcus Annius. *Prænomen, & nomen.*
MAR. *vel* . Marcia *aqua.*
MARC. Marcus, *vel* Marcus. *nomen.*
MAR. PROP. *vel* PROPVG. Mars *propugnator.*
MAR. VLT. Marti Vltori.
MATER. AVGG. MAT. SEN. M. PAT. Mater Augustorum. Mater Senatûs. Mater Patriæ.
M. AF. Marcus Aufidius. *Prænomen, nomen.*
M. AVR. *vel* . Marcus Aurelius. *Prænomen, nomen.*
M. AVR. ANTON. Marcus Aurelius Antoninus.
MAX. Maximus. *Cognomen.*
M. C. I. *vel* IV. Municipium Calaguris Julia. *Hispaniæ Calaborra.*

M. D. M. I. Magnæ Deum Matri Idææ,
ME. Metropolis.

MES. Messius. *Prænomen.*

METAL. DEL. Metallum Delmaticum.

METALL. VLP. IAN. PANN. Metallum
Vlpianum Pannonicum.

MET. DALM. Metallum Dalmaticum.

MET. NOR. Metallum Noricum.

METO. Metæceus. *Cognomen.*

M. F. M. N. Marci filius, Marci Nepos.

M. HIB. &c. Municipium Hibera &c. *vide, quod sequitur.*

M. H. ILLERGAVONIA. DERT. Muni-
cipium Hibera Illergavonia Dertosa. *Cat-
aloniæ, Tortosa.*

MINAT. Minatius. *nomen.*

MINER. FAVTR. Minervæ fautrici.

MINER. VICT. Minervæ victrici.

M. K. V. T. Moneta Kartaginensis Vr-
bis, *tertia in officina.*

M. L. Moneta Lugdunensis.

M. LEP. C. REG. INST. Marcus Lepidus
civitatem Regiensium instauravit.

M. LL. Moneta Lugdunensium.

M. MAR. Marcus Marcellus. *Prænomen,
& Nomen.*

M. M. I. V. Municipes Municipii Julii
Vticensis, *Africæ, nunc Biserta.*

M. N. Moneta Narbonensis. *forte.*

MON. vel MONET. Moneta.

M. POP.

- M. POP. Marcus Popilius. *Prænomen, nomen.*
M. R. Municipium Ravennatum.
M. S. Mæsiæ Superioris.
M. S. TR. Moneta Signata Treveris.
M. V. Minervia victrix *legio.*
MV, Mucius, *vel* Munatius *nomen.*
MVL. FEL. Multa felicia.
MVL. XX. MVL. XXX. Multis vicennialibus, Multis tricennialibus.
MVN. Municeps, Municipium, Munitæ.
MVN. CAL. IVL. Municipium Calaguris Julia. *Hispaniæ, Calaborra-*
MVN. CLVN. Municipium Clunia. *Hispania: Pagus Castellæ Veteris, Crunna.*
MVN. FANE. AEL. Municipium Fanestre Ælium. *Fano in Italia, forte.*
MVN. *vel* MVNICI. *vel* MVNIC. STOBEN. *vel* STOBENS. *vel* STOBENIVM, Municipium Stobense. *In Macedonia.*
MVN. IVL. VTICEN. DD. PP. Municipii Julii Vticensis Decuriones posuere. *Africa, Biserta.*
MVN. TVR, *vel* MV. TV. Municipium Turiaso, *Arragoniæ, Tarracona.*

N,

- N. Natali. Nepos. Nobilis. Nostræ. Numerus *prænomen.* Numini. Numus.

NAT.

- NAT. Natali *die*, *vel* Natus.
- NAT. VRB. P. CIRC. CON. Natali Vr-
bis populo Circenses constituti.
- N. C. Nero Cæsar. *vel* Nobilis Cæsar. *vel*
N. CAES.
- N. C. A. P. R. Numus cusus à populo Ro-
mano. *vel* autoritate populi Rom.
- NE. CAES. Nerone Cæsare.
- NEM. Nemausus. *Galliæ, Nismes.*
- NEP. Nepos.
- N. E. P. D. I. Numini ejus plurimum de-
voti jusserunt.
- NEP. RED. Neptuno Reduci.
- NEP. S. *vel* SACR. Neptuno Sacrum.
- NEPT. *vel* NEPTVN. Neptunalia.
- NER. Nero, Nerva. *Cognomina.*
- NER. I. Q. VRB. Nerva primus quæstor
Vrbis.
- N. F. N. N. Numerii filius, Numerii nepos.
- NICEPH. Nicephorium. *Colonia, in Me-
sopotamia.*
- NICER. Nicereus. *Cognomen.*
- NIG. Niger. *Cognomen.*
- N. M. Q. E. D. Numini, Majestatique ejus
devoti.
- NN. Nostrorum.
- NOB. C. Nobilis, *vel* Nobilissimus Cæsar.
- N. P. RITE. COND. Nova Porta rite con-
dita.
- NR. Neratius, *nomen.* Nero *cognomen.*

- N. T. M. Numini Tutelari Municipii.
N. TR. ALEXANDRIANAE. COL.
BOSTR. Nerviae Trajanæ Alexandria-
næ Coloniae Bostræ. *In Arabia Petraea.*
NV. Numa *Pompilius.*
N. V. BIS. CONS. Nostræ Urbis bis Con-
suli.
NVM. REST. Numantia restituta. *vel* Nu-
mum restituit.
N. VRB. CON. Nostræ Urbis conservato-
ri, *vel* Consuli. *forte.*
N. VRBIS C. Natali Urbis Circenses. *vel*
Nostræ Urbis Conservatori.

O.

- O. Ob. Officina. Ogulnius *nomen.* Op-
timo.
OB. C. S. *vel* OB. CIVIS, SER. Ob cives
servatos.
OB. LIBERT, REC. Ob libertatem recep-
tam.
O. C. S. Ob cives servatos.
OEC. Oecumenica *Ludi.*
OFF. III. CONST. Officina tertia Con-
stantinopoli.
OFF. LVGD. S. Officina Lugdunensis
signavit.
OGVL. Ogulnius. *nomen.*
OLY. Olympius.
O. M. T. Optimo Maximo Tonanti.

O. P. *vel* OP. PRIN. *vel* OPT. P. *vel*
OPT. PR. Optimo Principi.

OPEIM. Opimius. *nomen.*

OPEL. Opelius. *nomen.*

ORB. TER. Orbis terrarum.

OTAC. Otacilius. *nomen.*

P.

P. Pater. Patriæ. Per. Percussa. Perpetuus.
Pius. Pontifex. Populus. Posuere. Po-
suit Præfectus. Primus. Principes. Princi-
pi. Provincia. Publius. *Frænomen.*

P. A. Pietas Augusti. *vel* Primus Augur.
vel Pius Augustus.

PAC. *vel* PACI. *vel* PACIF. Pacifero
Marti.

PAC. DEULT. Pacensis Deulton. *Colo-
nia Thracia.*

PACE. P. R. &c. Pace Populo Romano,
&c.

PACI. Pacificus. *vel* Pulsis Aquitanis crea-
tus Imperator *forte.*

PACI. ORB. PERP. AC. ET. Paci Orbis
perpetuæ ac æternæ. *vel* Paci Orbis per-
petuum ante castra erexit tropæum.
forte.

PAET. Pætus. *Cognomen.*

PAPI. Papirius. *nomen.*

PAR. AR. AD. Parthicus, Arabicus, Adia-
benicus.

P. ARL.

P. ARL. Percussa Arelate. *vel* pecunia Arelatensis.

PART. MAX. Parthicus Maximus.

PAT. PAT. Pater Patriæ.

P. C. CAES. Pater Caji Cæsaris.

P. C. L. VALERIANVS. Publius Cornelius Licinius &c.

P. CONST. Percussa Constantinopoli.

P. D. Populo datum.

PELAG. Pelagia. *Venus.*

PER. Permissu.

PER. A. *vel* AVG. Perpetuus Augustus.

PERM. Permissu.

PERP. Perpetuus. *vel* pecunia Romæ percussa. *forte.*

PERT. Pertinax. *Cognomen.*

PESC. Pescenius. *Nomen Augusti.*

P. F. Pius felix. *vel* Pia fidelis. *de legione. vel* Primus flavit.

P. F. P. N. Publii Filius Publii nepos.

P. F. TR. A. Pius felix Triumphator Augustus.

P. F. V. Pio felici Victori, *vel* Pia, Fidelis, *victrix legio.*

P. H. C. Provinciæ Hispaniæ citerioris.

PH. COND. Philippi condita.

PHIL. Philippi. *Colonia Thracia, Macedonia adjecta.*

P. I. *vel* P. IVVENT. Princeps Juventutis.

- PIV. PIVE. PIVES. PIVESV. Pivesus.
Tetricus Augustus.
- PLA. Plancus. *Cognomen.*
- PLÆ. TRAN. Plætorius Tranquillus. *no-*
men & cognomen.
- P. LIC. COR. SAL. Publius Licinius Cor-
nelius Saloninus.
- P. L. I. I. V. C. Præsidaria legione Illi-
beri imposita, Urbis conservator. *forte.*
- P. L. O. N. Percussa Lugduni in officina
nona, *vel nova.*
- P. LVG. Percussa Lugduni.
- P. M. Pontifex Maximus.
- P. M. G. M. Pontifex Maximus, *vel Par-*
thicus Maximus, Germanicus Maxi-
mus.
- P. M. S. COL. VIM. Provinciæ Mæsiæ
Superioris colonia Viminacium. *Widin*
in Servia.
- POL. Pollio. *Cognomen.*
- POM. Pompejus *nomen fere.*
- PONTIF. *vel* PONT. MAX. Pontifex
Maximus.
- PORT. OST. Portus Ostiensis.
- PP. Pater Patriæ *vel* Perpetuus *vel* Pro
Præto.
- P. R. Percussa Romæ, *vel* Populus Ro-
manus.
- PRAEF. GERM. Præfectus Germanorum.

PRAEF. OR. MARIT. ET. CLASS. Præfectus oræ maritimæ, & classium, *vel sic* PRAEF. CLAS. ET. ORÆ MARIT.

PRAES. Præsens. *cognomen.*

PR. CER. I. D. Præfectus Cerealis juridicundo.

PR. COS. Pro Consule.

PRINC. I. *vel* IVVENT. Princeps Juventutis.

PRIV. Privernum. *Italia.*

PR. L. V. P. F. Prætor Iudos votivos publicos fecit.

PROB. Prætoriani obtulerunt, *vel* Probitas.

PRO. COS. *vel* PROC. Proconsule, *sen* Proconsul.

PROF. AVG. Profectio Augusti.

PRON. Pronepos.

PRO. P. *vel* PRO. PR. *vel* PR. PR. Pro Præto.

PR. Q. Pro Quæstore.

PR. S. P. Provinciae Syriae Palæstinæ.

PROV. DEOR. Providentia Deorum.
PROVID. AVG. Providentia Augusti.

PR. VR. Prætor Urbanus.

P. SS. C. Posuere Suffetes Carthaginenses. *forte, vel Poni suo sumptu curavere Duumviri.*

P. T. *vel* TR. Percussa Treveris.

P. V. Piæ Victricis, *legionis.*

PVDIC. Pudicitia.

PVPIE. Pupienus. *nomen Augusti, aut cognomen potius.*

Q.

Q. Quæstor. Quinarius quinctus. *Prænomen. vel Quintus. Quinquennalis, quod.*

Q. AR. Quinta Arelatensis officina signavit.

Q. CAS. Quintus Cassius. *Prænomen & nomen.*

Q. C. M. P. I. Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator.

Q. C. V. I. N. C. Quinquennales Coloniae Victricis Juliae novæ Carthaginis Hispaniæ Carthagena.

Q. DESIG. Quæstor designatus.

Q. M. Quintus Marcius. *Prænomen & nomen.*

Q. O. C. FAB. Quinto Ogulnio, & Caio Fabio. *Prænomen, & nomen utrobique.*

Q. P.

Q. P. Quæstor Prætoris.

Q. PAPIR. CAR. Q. TER. MÓN. Quinto Papirio Carbone, & Quinto Terentio Montano. *Utrinque omnia tria nomina.*

Q. P. R. Quæstor Provinciæ.

Q. PRO. C. *vel* COS. Quæstor Proconsulis.

QQII. Quinquennalis iterum.

QVAD. Quadratus. *Cognomen.*

QVADRAG. REMISS, Quadragesima remissa. *vestigal.*

QVAES. Quæstor.

QVIN. ITER. Quinquennalis iterum.

QVINQ. Quinquennalis. *Duumvir Colonia.*

QVOD. VIAE MVN. SVNT. Quod viæ munitæ sunt.

QVOD. V. M. S. EX. EA P. Q. I. S. AD A. D. E. Quod viæ munitæ sunt ex ea pecunia, quæ jussu Senatûs ad ærarium delata est.

Q. VRB. Quæstor Urbanus.

R.

R. Remissa. Res. Restituit. Roma. Romanus.

- R. C. Roma Civitas. *vel* Romani Cives.
 R. CC. Remissa ducentesima. *vestigal.*
 R. D. N. V. I C. Romanæ ditioni Narbone vindicato Imperii Conservator. *forte.*
 RE. C. COSSVR. Regina Contestaniæ Cossura. *Contestania Regio Hispan.*
 RECEP. Recepta.
 REF. Refecta *Basilica.*
 R. E. G. I. AR. T. I. S. Reduci ex Gothia Imperatori arcum triumphis insignem struxit *Collegium Fabrum. forte.*
 REI. M. *vel* MIL. Rei militaris. *vel* R. M.
 RES. Restitutus. *Cognomen.* Resius. *nomen.*
 REST. NVM. Restituta Numantia, *vel* Numidia, *vel* Restituit numum.
 REST. RESTIT. Restitutor.
 R. I. M. D. R. Regnum invicto magno Domino restituit. *forte.*
 RO. *vel* ROM. Roma. Romani.
 ROC. I. L. C. Colonia Laus Julia Corinthus. *Inverso ordine literæ insculptæ sunt.*
 ROM. COL. Romulea Colonia. *Hispania, Sevilla.*
 ROM. RED. Romæ Reduces.
 RO. P. S. Romæ pecunia signata.

R. P. C. Reipublicæ Constituendæ.

R. V. Roma Victrix.

R. VE. R. Reipublicæ Veronensis Resti-
tutor.

RVF. Ruffinus *vel* Ruffus. *Cognomen, &*
nomen.

R. V. POMER. T. *vel* TER. Romanæ
Vrbis pomeria terminavit.

R. V. P. S. Romæ in quinta officina pe-
cunia signata.

R. XL. Remissa quadragesima. *vestigal.*

S.

S. Sacerdos. Sacra. Sæculi. Semis. Sena-
tus. Senior. Sextus. Soli. Spes. Statu.
Suscepto.

S. A. Salus, *vel* securitas, *vel* Spes Au-
gusti.

SACER. COOP. IN. OMN. COL. SV-
PRA. NVM. Sacerdos cooptatus in
omnia Collegia supra numerum.

SAC. FAC. Sacris faciundis.

SACRA. PER. Sacra Periodica, *vel* Per-
petua.

SAG. Saguntum. *Hispaniæ, nunc Mor-
viadro.*

SAL. Salduba *Hispaniæ*, vel Saloninus
cognomen, vel falus.

SALL. BARB. Sallustia Barbia. *Orbiana*,
Augusta.

SALM. Salmantica. *Hispaniæ Salamanca*.

S. ARE. Signata Arelate moneta.

SARM. Sarmaticus.

SAF. Saufeius. *nomen*.

S. C. Senatus consulto.

SCI. AF. Scipio Africanus. *nomen & co-*
gnomen.

SCIP. ASIA. Scipio Asiagenes, *nomen &*
cognomen.

SCIS. vel SCISCIA. Siscia. *Croatia*,
Siffek.

S. CONST. Signatum Constantinopoli.

SCR. Scribonius. *nomen*.

SEC. Seculum, vel securitas.

SEC. SAEC. Securitas sæculi.

SECVR. ORB. Securitas Orbis.

SEMP. Sempronius. *nomen*.

SEN. Senior *Augustus* vel solum S.

SEP. COL. LAVD. Septimia Colonia
Laudicea pro Laodicea.

SEPT. SEV. Septimus Severus. *nomen co-*
gnomen.

SEPT. TYRVS MET. Septimia Tyrus
Metropolis.

SER.

SER. Servius. *Prænomen.*

SERE. Serenus *cognomen.*

SEV. Severus. *Cognomen fere.*

SEX. F. Sexti filius. *Prænomen & cognomen.*

S. F. Sæculi felicitas.

SICIL. Sicilia.

SIC. XX. SIC. XXX. Sic vicennalia, sic tricennalia *vota solvantur.*

SIGN. RECEP. Signis receptis.

SIL. Silius *nomen.*

S. I. M. Soli invicto Mithræ. *vel Soli immortali Deo.*

SIR. *vel* SIRM. Sirmii. *Sclavoniæ, nunc Sirmich.*

SISC. P. Siscia percussa. *Croatia ad Savum, nunc Sissek.*

SISC. P. Z. Siscia percussa in officina septima.

SISC. V. Siscia Vrbs. *vel* Siscia in quinta officina.

S. M. A. *vel* ANTI. Signata moneta Antiochiæ.

S. M. A. H. Signata moneta Antiochiæ in octava officina.

S. M. A. Q. P. Sacra moneta Aquileiæ percussa.

S. M. HER. Signata moneta Heracleæ.

- S. M. K. B. Sacra, *vel* Signata moneta
Karthagine in secunda officina.
- S. M. N. Signata moneta Narbone, *vel*
Nicomediæ.
- S. M. N. B. Sacra, *vel* Signata moneta
Nicomediæ in secunda officina.
- S. M. N. Γ. Signata moneta Nicomediæ
in tertia officina.
- S. M. R. Signata moneta Romæ.
- S. M. R. P. Sacra moneta Romæ per-
cussa.
- S. M. R. Q. Signata moneta Romæ in
quarta officina.
- S. M. SISC. E. Signata moneta Siciæ in
quinta officina.
- S. M. T. S. E. Sacra moneta Treveris
signata in quinta officina.
- SP. Spurius *Prænomen*, *vel* securitas pu-
blica, *vel* Populi.
- S. P. Q. R. IMP. CAES. QVOD. V. M.
S. &c. Senatus, Populusque Roma-
nus Imperatori Cæsari, quod viæ &c.
vide in Q.
- S. P. Q. R. PAREN. CONS. SVO. Se-
natus Populusque Romanus Parenti
conservatori suo.
- S. P. Q. R. VOT. S. PRO. R. CAES.
Senatus Populusque Romanus votum
solvit pro reditu Cæsaris.

S. P. Q. R. V. PR. RE. CAES. Senatus
•Populusque Romanus vovit pro redi-
tu Cæsaris.

S. P. V. Sardonum populi vindex. *forte.*

S. R. Senatus Romanus, *vel* Salus Ro-
manorum, *vel* Spes Reipublicæ. *Duas*
posteriores lectiones circa tempora Con-
stantini.

S. T. Signata Treveris.

STABIL. Stabilita *tellus.*

S. V. F. P. D. Susceptis votis frumen-
tum publicè datum.

SVLL. Sulla. *cognomen, & loco nominis.*

SVSC. Suscepta *vota.*

T.

T. Tarraco. Temporum. Terminavit. Ti-
tus *Praenomen.* Togata. Treveris. Tri-
bunitia. Tribunus. Tutelaris.

T. AR. Tertia Arelatensis *officina signa-*
vit.

T. CEL. Tito Celere, *Praenomen, & co-*
gnomen pro nomine.

TEMP. Temporum.

TER. Terentius *nomen.*

TER. DD. Terminum dedicavit.

TERR. Terracina. *Italia.*

TERT. *vel* TER. Tertium.

TES. *vel* TESS. Tessalonicæ. *Macedonia.*

T. F. Temporum felicitas, *vel* Titi filius.

T. FL. Titus Flavius. *Prænomen & nomen.*

T. G. A. Tutelaris Genius Ægypti.

THEOPO. *vel* THEV. *vel* THEAP. Theopolis *Antiochia Syriae, sic dicta sub Justiniano.*

T. I. Tiberius. *Prænomen, & nominis loco.*

TIB. CL. Tiberius Claudius. *Prænomen & nomen.*

TI. CAE. C. I. A. D. Tiberius Cæsar
Colonia Julia Augusta Dertona. *Italia
Ligusticæ, Tortona.*

TI. F. TI. N. Tiberii filius. Tiberii nepos.

T. M. AP. CL. Titus Manlius, & Ap-
pius Claudius.

T. P. *vel* TR. *vel* TRIB. POT. *vel* P.
Tribunitia potestate.

TRA. *vel* TRAI. *vel* TRAIAN. Trajanus.
nomen, etiam à Decio Augusto adscitum.

TRAN. Tranquillus. *cognomen.*

TRE.

- TREBAN. Trebanius. *nomen.*
TREB. *vel* TREBON. Trebonianus.
TR. F. Trajana fortis *legio.*
TRIVMF. Triumphator.
TR. LEG. II. Tribunus legionis secundæ.
TRO. *vel* TROAD. Troas, *vel* Troadensis
Colonia Trojæ *instaurata.*
TROB. Treveris in officina secunda, *vel*
Treveri obtulerunt.
TROB. S. Treveris in officina secunda
signata.
TR. PL. D, *vel* DES. Tribuni plebis de-
signati.
TR. P. S. Treveris pecunia signata, *vel*
Treveri *permissu* Senatus.
TR. S. Treveris signata.
TR. V. MON. Triumviri Monetales.
T. S. E. Treveris signata *in officina* quinta.
TVL. Tullius, *vel* Tullus *nomen.*
TVL. H. *vel* TVLL. HOSTIL. Tullus
Hostilius. *Rex Romanorum.*
TVR. Turiaso. *Hispaniæ Tarragona.*

V.

- V. Quinquennalia, quintum. Verus. Vir. Arix. Vir. Virtus. Volero *prænomen*. Voto. Votivus. Vrbs.
- V. AET. Virtus æterna.
- VAL. VALER. Valerius *nomen*.
- VAR. RVF. Varius Ruffus. *nomen & cognomen*.
- VENT. Ventidius. *nomen*.
- VESP. Vespasianus.
- VETE. Vetere. *Cognomen*.
- VETER. Veteranorum *Colonia*.
- VET. LANG. Vettius Languidus. *nomen, cognomen*.
- V. F. Victrix fidelis *legio*.
- V. I. Vota Imperii.
- VIB. Vibius. *nomen*.
- VIC. AVG. Victoria Augusti.
- VIC. GERM. Victoria Germanica.
- VIC. PAR. M. Victoria Parthica Maxima.
- VIC. S. Victoria Sicula.
- VICT. AET. AVG. Victoria æterna Augusti.
- VICT.

VICT. P. GAL. AVG. Victoria Gallieni Augusti.

VICTORIA. GM. Victoria Germanica.

VICT. P. G. AVG. Victoria Parthica Gallieni Augusti.

VIII. NB. *In argento numo notat eum valere octo asses.*

VII. VIR. *vel* VII \mathcal{R} . EP \mathcal{V} . Septemvis Epulonum.

VII. PUP. Villa Publica.

VIR. *vel* VIRT. Virtus.

VIR. VES. Virgines Vestales.

VI. VIR. AVG. Sevir Augustus, *vel* Augustalis.

VL. Vlpus. *Prænominis loco.*

V. N. M. R. Urbis Nicomediensis moneta restituta, *vel* Urbis Narbonensis mercatum restituit. *forte.*

VOL. Volusus. *nomen.*

VOLER. Volero. *vetus prænomen.*

VOT. DEC. ANN. SVSC. Vota Decennalia, *seu* decemannalia suscepta.

VOT.

VOT. P. SVSC. PRO. SAL ET. RED.
I. O. M. SACR. Voto publice suscepto
pro salute, & reditu: Jovi Optimo Ma-
ximo Sacrum.

VOT. QQ. *vel* V. MVLT. X. Votis
quinquennialibus, multis decennialibus.

VOT. X MVLT. XX. Votis decenniali-
bus, multis vicennialibus.

V. P. Vota populi. *vel* publica.

V. P. RED. CAES. S. Votum pro reditu
Cæsaris solutum.

V. PR. RE. CAES. Votum pro reditu
Cæsaris.

VR. *vel* VRB. R. Vrbs Roma.

VR. *vel* V. I. N. K. Vrbs Julia nova Kar-
thago. *Hispaniæ Cartbagena.*

VRB. VIC. Vrbs Viçtrix.

VR. VIC. OSCA. Vrbs Viçtrix Osca.
Hispaniæ, Huesca.

V. S. Voto suscepto.

V. S. PR. RE. CAES. Voto suscepto pro
reditu Cæsaris.

V. S. PR. S. IMP. Voto soluto pro salute Imperatoris.

V. V. Votis quinquennialibus.

V. V. OSCA. ADD. Vrbs Victrix Osca, Decreto Decurionum. *Hispaniæ, Huesca.*

X.

X. Decem. Decennalia. Denarius: *vel etiam sic **

X. C. V. I. Decennalia Constantini, vota Imperii.

X. F. Denarium faciundum.

XV. *In aureo numo valorem 15. denariorum indicat.*

XVI. *In argenteo numo notat eundem tunc sedecim assibus permutatum esse.*

X. VIRI. LIT. IVD. Decemviri litibus judicandis.

XV. VIR. SAC. FAC. Quindecimvir sacris faciundis.

208 *Nota compendiariae &c.*

XX. Vicennalia vota. *Sed in aureo numo,
20. Sestertios valere notat.*

X. XL. *In aureis numis notat, eosdem va-
luisse denarios 40.*

XXX. Tricennalia vota.

XXXVI. *Anno trigesimo sexto. Æra
Sinopensium : a victoria Ætiaca.*





INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI VI.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

A & Ω , literæ in numis expressæ. L. 6.
N. 22.

Æris mille quid sit. L. 6. N. 12.

Æris libra in duodecim uncias divisa fuit.
L. 6. N. 13.

*Adversa & Aversa pars numismatis quid
sit.* L. 6. N. 22.

*Animalia varia, quæ in numis comparent,
ordine alphabetico recensentur.* L. 6.
N. 26.

Apotheosis seu consecrationis signa. L. 6.
N. 34.

Index Rerum

- Argentum, quando Romæ signari cæperit.* L. 6. N. 13.
Forma numorum ex argento Romanorum. L. 6. N. 13.
Argenteus, numus Hebraicus. Ubi de argenteis, quibus venditus fuit Christus. L. 6. N. 15.
As, Æs, Assis tria nomina sunt, eadem tamen res. Assis valor. L. 6. N. 12.
Asse, ejusque partibus usi sunt Romani in hæreditate dividenda. L. 6. N. 13.
Assipondium quid fuerit. L. 6. N. 16.
Augurum insignia in numismate. L. 6. N. 31.
Augustorum tituli & insignia in numis. L. 6. N. 33.
Austriacæ domus numismata. L. 6. N. 21.

B.

- Beneficii eb aquam introductam signum in numis.* L. 6. N. 34.
Bigatus species numi Romani. L. 6. N. 12.
Bos numus Græcus. L. 6. N. 14.
Budvioli (Andræ) S. J. illustris collectio numismatum de Immaculata Conceptione. L. 6. N. 21.
C. Ca.

& Verborum Lib. VI.

C.

- Cæsarum tituli & insignia in numis.* L. 6.
N. 33.
- Cassis seu Galea in numis.* L. 6. N. 22.
- Censores seu spectatores numorum.* L. 6.
N. 10.
- Census Romanus, ejusque classes.* L. 6.
N. 13.
- Census primum fuit introductus in Veteri
Testamento a Deo per Mosen.* L. 6.
N. 13.
- Censorum tituli & signa in numis.* L. 6.
N. 32.
- Cives servantium insignia in numis.* L. 6.
N. 34.
- Cognitio prærogativarum & titularum
Imperialium.* L. 6. N. 33.
- Cognitio Magistratum e numismatibus.*
L. 6. N. 31.
- Cognitio rerum præclare gestarum, &
virtutum e numis.* L. 6. N. 34.
- Cognomina Romanarum Familiarum.* L. 6.
L. 29.
- Unde desumpta fuerint.* L. 6. N. 30.

Index Rerum

- Coloniae, earumque signa in numis.* L. 6.
N. 28.
- Amplitudo Imperii Romani e coloniis
per totum orbem diffusis adparet.*
L. 6. N. 28.
- Commercium primorum hominum permuta-
tione rei cum re.* L. 6. N. 6.
- Consulum tituli & insignia in numis.*
L. 6. N. 32.
- Concordiae insigne in numis.* L. 6. N. 34.
- Contus in numis.* L. 6. N. 22.
- Coronae diversae in numis.* L. 6. N. 22.
- Crux in numis quando adparuerit.* L. 6.
N. 22.

D.

- Denarius Romanus, ejusque valor.* L. 6.
N. 12.
- Diadema Regum antiquissimum seu fascia.*
L. 6. N. 22.
- Dictatorum insigne in numismatibus.* L. 6.
N. 22.
- Didrachmum hebraicum, quod Christus
solvere jussit.* L. 6. N. 15.
- Drachma, moneta hebraica.* L. 6. N. 15.
- Du-

& Verborum Lib. VI.

Ducati seu Zecchini Veneti origo. L. 6.
N. 11.

E.

*Effigies Deorum & Dearum, ac virtutum
in numis, ordine alphabetico recensita.*
L. 6. N. 23.

Effigies dimidiatae in numis. L. 6. N. 22.

*Eruditionis & antiquitatis studium arctis-
sime connexum esse oportet.* L. 6. N. 3.

*Ad eruditionem requiritur notitia histo-
riae, geographicae & chronologiae.* L. 6.
N. 3.

F.

Felicis titulus Imperatoribus adjectus. L. 6.
N. 33.

Ferula in numis. L. 6. N. 22.

*Figurae Provinciarum & Civitatum in nu-
mis, ordine Alphabetico.* L. 6. N. 27.

*Figurae in numis, nunc una, nunc duae,
nunc tres &c.* L. 6. N. 23.

Flaminum sacerdotum insignia in numis.
L. 6. N. 31.

Forma numi unde desumatur. L. 6. N. 2.

Index Rerum

- Fortitudinis signum in numis.* L. 6. N. 34.
Frælicii S. J. Annales Regum Syriae.
L. 6. N. 20.
Ejusdem Notæ Compendiariæ. L. 6.
N. 34.
*Fulgur supra vertisem Imperatorum in
numismatibus.* L. 6. N. 22.

G.

- Golzii fasti consulares, & typi numisma-
tum.* L. 6. N. 3.
Græci quos numos habuerint. L. 6. N. 14.
*Græcorum characteres, quibus numerum
annorum in numis exprimebant.* L. 6.
N. 15.

H.

- Harduini (Joannis) S. J. præclarum
opus de variis numismatibus.* L. 6. N. 3.
Ejus testimonium de arte numaria. L. 6.
N. 3.
Hebræi quos numos habuerint. L. 6. N. 15.

I.

- Imperatorum recentioris ævi numismata.*
L. 6. N. 21.

¶ Verborum Lib. VI.

Instrumenta varia in numis expressa recensentur secundum ordinem Alphabeti. L. 6. N. 25.

Inscriptiones variæ numismatum, quarum tredecim enumerantur. L. 6. N. 24.

Jus monetam cudendi. L. 6. N. 11.

L.

Labarum Constantini M. in numis. L. 6. N. 22.

Libripendes quid fuerint. L. 6. N. 16.

Ludi in numis expressi. L. 6. N. 34.

M.

Materia numorum fuit æs, argentum & aurum. L. 6. N. 8.

Quandoque etiam e ferro, stanno, plumbo, corio, & cortice arborum &c. L. 6. N. 8.

Menestrier (Claudii) S. J. opus insigne exhibens vitam Ludovici XIV. in numismatibus. L. 6. N. 21.

Mensarii quinam dicti fuerint. L. 6. N. 10.

Mina seu Mna Græca. L. 6. N. 14.

Index Rerum

- Mina seu Mna Hebraica.* L. 6. N. 15.
De Mna Evangelica. L. 6. N. 15.
Minutum, numus. De minuto viduæ in Evangelio. L. 6. N. 14.
Missilia seu numi Missiles. L. 6. N. 17.
Mitra in numismatis. L. 6. N. 22.
Medallia quid sit. L. 6. N. 5.
Moderationis animi seu Clementiæ signum in numis. L. 6. N. 34.
Modulus numismatum. L. 6. N. 17.
Moneta unde dicatur. L. 6. N. 5.
Monumentorum signa in numis. L. 6. N. 34.

N.

- Nabuchodonosoris statua.* L. 6. N. 16.
Nomina Romanarum Familiarum e numis. L. 6. N. 29.
Novissi Epochæ Syro-Macedonum. L. 6. N. 3.
Notæ compendiarie in numis latinis occurrentes. L. 6. N. 34.
Numariæ rei præstantia: superat reliquas antiquitates. L. 6. N. 1.
E numis longe certius discimus omnes fere antiquitates. L. 6. N. 1. & 3.
Nu-

& Verborum Lib. VI.

- Numismata Veterum qui collegerunt, aut
inciderunt cupro, enumerantur.* L. 6.
N. 2.
- Numaria rei opera multum emendata fuit
Historia, Geographia & Chronologia.*
L. 6. N. 3.
- Item Veterum scripta.* L. 6. N. 3.
- Numus unde dicatur.* L. 6. N. 5.
- Numisma quid sit.* L. 6. N. 5. & 17.
- De Numi origine varia opiniones.* L. 6. N. 6.
- Numos ante diluvium fuisse percussos, sa-
tis probabile non est.* L. 6. N. 6.
- Numorum primi inventores.* L. 6. N. 6.
- Numi primum vestigium in S. Scriptura
deprebenditur in lib. Genes. & Job.*
L. 6. N. 7.
- In Numis Imperii solius Cæsaris effigies
laureata comparet.* L. 6. N. 11.
- Numi aurei.* L. 6. N. 16.
- Numismatum origo, primum in cera &
lapide, tum in metallo.* L. 6. N. 17.
- Numismatum ætates ac periodi.* L. 6.
N. 17.
- Eorundem pretium & æstimatio.* L. 6.
N. 17.

Index Rerum

Numismatum recentioris ævi commendatio.
L. 6. N. 21.

Numismatum ortus & progressus. L. 6.
N. 24.

Numi Veteres reducuntur ad valorem nostræ pecuniæ.
L. 6. N. 12.

Numularii quinam dicti fuerint. L. 6. N. 10.

O.

Obulus, numus Græcus, ejusque valor.
L. 6. N. 14.

Obulus, numus Hebraicus, ejusque valor.
L. 6. N. 15.

Oeconomia numorum, seu distributio in classes tres.
L. 6. N. 12.

Ordo numismatum: quinque eorum classes.
L. 6. N. 18.

Ornamenta Capitis penes Reges, Imperatores &c.
L. 6. N. 22.

P.

P. P. seu Patris Patriæ Titulus in numis.
L. 6. N. 33.

Pacis studium: ejus insigne in numis. L. 6.
L. 34.

Pa-

Et Verborum Lib. VI.

- Patini (Caroli) introductio ad historiam numariam.* L. 6. N. 17.
- Pecunia unde dicta sit.* L. 6. N. 5.
- Pecuniam ponderandi modus apud Hebræos. Romanos, & Græcos.* L. 6. N. 16.
- Peplum seu velum in numis.* L. 9. N. 22.
- Pedrusii S. J. insignis opera in re numaria.* L. 6. N. 34.
- Pietatis insigne in numis.* L. 6. N. 34.
- Pii titulus in numismatibus.* L. 6. N. 33.
- Pœnæ in adulterantes pecuniam constitutæ a variis nationibus.* L. 6. N. 10.
- Pomum Imperiale in numismatibus.* L. 6. N. 22.
- Pontificis Max. apud Romanos insignia in numis.* L. 6. N. 31.
- Pontificum numismata eximia partim fusa partim cusa.* L. 6. N. 21.
- Eorundem insignia & ornamenta.* L. 6. N. 21.
- Potestas signandi numos penes quos fuerit Romæ.* L. 6. N. 10.
- Prænomina Romanarum Familiarum.* L. 6. N. 29.
- Prætorum insignia in numis.* L. 6. N. 32.
- Prin-*

Index Rerum

*Princeps Juventutis quis fuerit Romæ:
ejus insigne in numismatibus. L. 6. N. 33.*

Q.

Quadrigatus, numus Romanus. L. 6. N. 12.

Quæstoris insigne in numis. L. 6. N. 32.

Quinarius numus Romanus. L. 6. N. 12.

R.

Ratitus, numus Romanus. L. 6. N. 12.

*Regionis captæ signum in numis. L. 6.
N. 34.*

*Religionis insignia in numismatibus. L. 6.
N. 34.*

*Requisita ad studium rei numariæ. L. 6.
N. 19.*

*Reipublicæ constitutæ signum in numisma-
tibus. L. 6. N. 34.*

*Romæ quando numi cæperint percuti. L. 6.
N. 7.*

S.

Scriptores de re numaria. L. 6. N. 16.

Scri-

& Verborum Lib. VI.

Scriptores de numismatibus veteris ævi. L. 6. N. 20.

de numismatibus recentioris ævi. L. 6.
N. 21.

Scriptores de numismatibus Pontificum.
L. 6. N. 21.

Serratus, numus Romanus. L. 6. N. 12.

Sestertius, & Sestertium, numus Romanus.
L. 6. N. 12.

Siclus hebraicus profanus & Sacer: eorundem materia, forma, & inscriptio.
L. 6. N. 15.

Sigilla & inscriptiones numismatum apud Christianos Imperatores. L. 6. N. 34.

Signa, e quibus numismata genuina a spuriis discerni possunt. L. 6. N. 19.

Solidus seu aureus. L. 6. N. 16.

Stater, numus græcus. L. 6. N. 15.

Studium rei numariæ, ejusque elogium.
L. 6. N. 17.

Studium rei numariæ ad omnes fere scientias utile. L. 6. N. 4.

Suarefii dissertatio de numis. L. 6. N. 17.

T.

Talentum Romanum. L. 6. N. 12.

Græcum, & Hebraicum. L. 6. N. 14. & 15.
Ta.

Index Rerum & Verb. Lib. VI.


- Talenta auri & argenti, quæ David reliquit Salomoni pro Templo.* L. 6. N. 15.
Trapezitæ quinam fuerint. L. 6. N. 10.
Tullus Rex Romanorum primus æs signavit. L. 6. N. 12.
Typorum, qui in numis Principum & Nationum cernuntur, catalogus. L. 6. N. 9.
Tirini S. J. commentarius de re Numaria. L. 6. N. 4.

V.


- Vaillantii historia Seulacidarum in numis.* L. 6. N. 3.
Veteres historici non raro sibi contradicunt. L. 6. N. 3.
Victoriæ signum in numis. L. 6. N. 34.
Victoriatus numus Romanus. L. 6. N. 12.
Villalpandi S. J. commentarius de re numaria. L. 6. N. 4.
VII. Viri: III. Viri: XV. Viri quomodo in numismatibus compareant. L. 6. N. 31. & 32.













HI
M